PARVA LOGICA,
SIVE PROLVDIVM NECESSARIVM
Ad arduam Logicæ Disciplinam.

A FRATRE COELESTINO BRVNO Venusino Ord. Eremit. Sancti Augustini Artium, ac Sacræ Theologiæ Professore, ac Cœnobij Panhormitani Regente.

PRIMA PARS CVRSVS.



PANHORMI,

Apud Io. Antonium de Franciscis. M.DC.XVIII.

Superiorum Permissu.

ILLVSTRI ADMODVM
AC REVERENDISSIMO
PATRI MAGISTRO
NICOLAO A SANCTO ANGELO
totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini amplissimo Generali.

FRATER COELESTINVS BRVNVS Venusinus eiusdem Ordinis Sacrae Theologiae Artiumq; Indignissimus professor, ac Collegij Diui Augustini Panhormitani nullius meriti Regens. I. P.



ON paruo quidem, ante hac, turpis animi indicio duxi (Reuerendissime Pater) nec parum ingens, & immane probrum exstimaui; dum ipse mecum frequenter examinabam, post tot AEgidios, Viterbienses, Patauinos, Fulgentios, Cordubenses, Ariminenses, Gerardos, Argentinenses, Toletanos, Saxonienses, Alexandros, Gutierenses à vera cruce, Coriolanos, Camertinos, Bilios, Thriumphos, Bergomenses, Henricos, Aragonenses, Valentinos; Post tot (inquam) supra quadringentos nostri vetustissimi, Amplissimiq; instituti scriptores egregios (vt nō minus fideliter, quam eleganter in Anastasi Augustiniana a Fratre Thoma Gratiano nupèr edita adnotantur) qui suis lucubrationibus, & monumentis, omni immortalitati commendandis vniuersam Rempub. Christianam mirum olim immodum illustrarūt; quorum (proh dolor) siuè iniuria temporum, siuè posterū incuria, vix apud paucissimorum hominum memoriam, vel ipsius extant memoriæ aliquales reliquiæ: Tot etiam adhuc hodie, tantosq; nostræ Religionis longè, latèq; diffusæ, non inferioris ordi-

nis, non ignobilioris ingenij, non minoris præstantiæ, non demum (vt arbitror) in virtute secundos patres, omniũ tandem scientiarum alumnos; In Hyspanijs præsertim, vbi, & propter assiduum studendi vsum, & propter disciplinarum frequentiam maximè, atque maximè vigent; vt sublimibus illis, Princibusq; Ecclesiæ digni facilè ab omnibus iudicentur honoribus: modicam (vno, aùt altero exceptis) reliquos de sui summa ingenij indole memoriã, aliquid ad cõmunẽ vsum imprimentes posteris cõmendare, nec vllã perpetuam sibi, hac ex parte, gloriam cõparare: qui, si eam solum, quam quotidie doctrinã Salmaticæ, vel Conimbricæ, vel Cõpluti, vbi semper potissimũ floruere, inq; alijs nimium præclaris illius vastæ Regionis Academijs summa omnium laude publicè docent è cathedris vellent mãdare typis; quin totum terrarum orbem perfacilè illustrarent, inficias ire nemo potest. Ast vbi ab A R.P. Magistro Fratre Francisco Cornexo (quem inter cæteros semper obseruaui) Salmatino publico lectore, ac moralis Philosophiæ Proprietario, viro celeberrimo, luculẽter intellexi; tantam, vtpotè, Patrum imprimendi continentiam non esse ad socordiæ culpam imputãdam: sed potius ad propriæ zelum honestatis, summæq; prudentiæ, & virtutis argumentũ; virisq; doctrinæ insignibus dumtaxàt euenire, vt suam quisq; sibi auctoritatem semper inuiolatã asseruaret: Quoties enim (asserebat) opus aliquod perquam solerti studio, & diligentia lucubratum, editur in lucem, in calumniæ tenebras potius incidere; quam in aliquem boni nominis splendorem peruenire comperitur; In eius cum dicto sententiam quiescere non restiti. Quod iam passim reipsa comprobaui: Legens enim perplurimos inueni, qui tanquàm Fuci, quùm nihil egregium perse præstare possint, sic alienis insidiantur studijs, falcemque in messem, cuius ipsi semẽtem nõ fecerint, inijciunt; & quasi tot recentes Momi factum alienũ cauillantur; vt si quid fortuna ommissum, aùt perperam excerptum, seù verius, quod suam nõ adæquet opinionem, fortè inuenerint, id summa cum liber-

tate

tate, & acerbissimè carpere, & exagerare non desistant. In quo Coruorum mihi videntur quidem gerere vices, & mores, qui mortuis (cum viuis minimè audeant) oculos eruunt animantibus: in quorũ numero; licet adhuc vitæ luce fruantur auctores; ipsorum tamen scripta computãtur. Nec propterea ipse (Reuerendissime Pater) meum hunc Logicæ, & Philosophię cursum, quo potui summo studio elaboratum, hucusq; dare prælo nõ curaui; quia id idẽ meis hisce euenturum lucubrationibus suspicarer; me namq; minimè illorũ fugit humilitas: vbi huiusmodi Sophistæ, Zoili, vel quomodocumq; soleant nuncupari; cũ non aliundè honorem, nisi ab alijs detractum, sibi valeant arrogare; nõ in humiles, mei similes, quin potius in optimos quosq; viros mordicus semper esse consueuerunt: vel Canum more, qui aduersus Lunam in plenilunio latrant, vt Illustre valeant Cęlare facinus inscriptum; voluisse satis. Vndè procul certò ab hisce vectigalibus absum. Nec in meę paruũ sæuiẽt facultatis cadauer. ast si fecerint (id quod vel Vrsis est proprium) tanto mihi maiorem gratiam, honorem, gloriam præstare videbuntur, quanto in me efferaciores esse nitentur: Sic enim in bonorum scriptorum numero me conceptum, imaginabor. Cæterum quibus alijs non mediocribus pressus sum curis, grauibusq; meæ Apuliæ Prouintiæ negotijs præpeditus, & perplures, quas ferias habui occupationes, stando iussis aliquorum Amplissimorũ Præsulum, & præcipuè Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Ludouici Maggij Luceriæ Episcopi: tùm tandem: quia, cùm recentes ad me quotidie de his Logicæ, Philosophiæq; facultatibus aduẽtarent libelli, eò hæ mihi perueniſſe videbantur, vt Abylæ, Calpeq; titulo (NON PLVS VLTRA) eas iurè dignas iudicarim. Hæc inquam me vsq; adeò tenuere suspensum. Verum cum has perhumiles, remissasque lucubratiunculas, adeò incultas, vt primum abhinc decennium Pulcini Regens dictaram è cathedra, ità in hominũ ęstimatione perstitisse, vt circumeant, expostulẽtur, necnon & quibus assiduus extitit eorum vsus

non

nō modicó affecerint honore, nouerim, & experiētia comprobarim: Hinc effectū est, vt non secus, ac informans Vrsa, quæ lau bendo informes natos paulatim nititur figurare; quo ordine, & prælo incudi, & vulgo publicari incipient, expolire, expolitasq; in lucem edere, à quamplurimis molestissimè instigatus, iam tandem decreuerim; Vbi ab ijs quæ me diutius ab inceptis studiorum negotijs emancipa-runt, discreto curis, dignatus es opportunam hanc tribuere facultatem. Prodit præ reliquis prior hæc pars, vt ante reliquas nata, imò reliquis necessaria, continuò reliquæ suo ordine subsecuturæ. Faxit, vt quam Solius Omnipotentis Dei gloriam, ipsis, mente, laudemq; perlustro: Faxit inquam, vt quem præsertim Almæ meæ Religionis studiosorum Iuuenum discupio fructum, vtilitatem exopto; cedant & ipsæ. Præcurrit hæc pro reliquis ad te supplex, vt præcurrentem, postquè, benigna, qua Soles, inspicias æquitate, æqua benignitate foueas, humanoq; protegas patrocinio. Quod si ad pręstanda plura animum facies, forsan non multum post has, altiora Æquora, dolone, aura tuæ protectionis secundato, mea cymba meabit. Sunt hæ fateor exiguæ primitiæ: ast maiora deinde ingenij munera subsequentur. Tu non quanti (obsecro) hæc sint expendas, sed quo officio adductus offeram, qua voluntate maiora promittam, consideres. Interim Vale, & qua te Deus Cæpit prouidentia, ac fauore prouehere, eisdē, maiora dispensans, gubernet, ac protegat, Datum Panhormi die primo Nouembris 1618.

AD STVDIOSAM IVVENTVTEM AVTHOR F.F.C.M.

QVO nobili (Generosa Iuuētus) flagras ardore, qua ingenua intrinsecus titillatione percursaris, quo mens, tandem, inclyta flagranti titillatur affectu; hosce, qua animi liberalitate, labores, ac promptitudine tibi donantur, suscipias velim: Nec quæso, si humilia, cum prius maiora præstare potuerim; prout (si inexorabiles Parcæ, exorabiles aliquādiu effectæ parcent) præstabo, tradiderim, mireris: nec enim à turrium culmine, vaporariorumque cuspide prudens ædificij struere faber incipit structurā, sed ab imis. Cumq; veræ cuiuslibet scientiæ sit ianua, sitq; præcipuū fundamentum ipsa Logica, qua clausa, cunctis ad reliquas facultates aditus minimè reseratur, quo diruto, vel certè nō firmato, quicquid struitur, aeri cōmendatur: ab ea, vt ad culmina pergam, placuit initium carpere. Præterquamquod, si à Theologicis (quæ nō minus in promptu sunt) ortus fuissem, hæc postmodū fuisset indecorū promere, ac propalare proludia: nō enim regredi iudicatur honestum. Illud autē diligentissimè curabo, vt ea, qua fieri poterit celeritate, cursus hic Logicæ, ac Philosophiæ, eo, quo labore cognosces, omni studio, ac maturitate consilij elaboratus, effluat, sex in libros distributus: nonnulla statim (dante Deo) ex Sacra Theologia deprompta subsequutura. Vale.

DON FRANCISCI CAROBENI
EPIGRAMMA.



HActenus haud mirum, ſi nil genoroſa Iuuentus
Naturæ, morum, nec rationis habes:
Terrigenæ quoniam tentarunt aſtra Magiſtri
Qui docuere polum, nec didicere ſolum:
Aſt vbi Cælicolum tribuit ſchola ſacra Deorum
CÆLESTINE tibi nomen, & eſſe ſuum,
Iure quidem terris diuina ſcientia ſurgit,
Et ratio, & veritas cæpit habere locum.
Tanta volans patriæ terrarum fama per orbem
Gens Venuſina tuæ eſt, laus decus; alter honor
Vrbis, & argutæ reſplendet gloria gentis,
Illa licet peperit, te tamen iſta tenet;
Dum, velut inſignis Venerem depinxit Apelles
Atquè Myron viuam ſtruxit ab ære bouem:
Das opus alma typis ſublime Venuſia noſtris
Vnde magis felix AVREA CONCHA nitet.



LIBER PRIMVS

DE OPERATIONIBVS INTELLECTVS quibus ſubordinatur Logica; & de prima operatione in particulari.



RO huius tituli intelligentia eſt not. quod omnis facultas, ſiuè ſit ars, ſiue ſcientia poteſt diuidi in facultatem internam, & externam. Item facultas interna diuidi poteſt in facultatem internam realem, & facultatem internam rationalem, & tandè facultas externa poteſt diuidi in eam, quæ verſatur circa aliquam materiam extra nos; & in eam, quæ non tranſit in exteriorem materiam. facultas exterior, quæ tranſit in exteriorem materiam, eſt facultas, quæ poſt actionem aliquod opus extrinſecum derelinquit, vt ars fabrilis, quæ derelinquit domum factam; ars pingendi, quæ derelinquit picturam, &c. Facultas exterior, quæ non tranſit in exteriorem materiam, eſt illa, quæ vltra actionem nullum aliud opus extrinſece factum derelinquit; vt ars ſaltandi, ſonandi, canendi, &c. Facultas interior realis eſt, quæ rerum entitatem, realitatemq; conſiderat, vt Phiſica, Mathematica, &c. Facultas tandem interior rationalis eſt, quæ circa opera tantum rationis, ſiue intellectus verſatur, & huiuſmodi eſt logica, quæ veritatis, vel falſitatis cognoſcendæ rerum, operationibus intellectus præcepta miniſtrat.

Hæ autem facultates omnes, ſiue artes ſint, ſiuè ſcientiæ adinuentæ ſunt ad adiuuandas noſtras potentias ad hoc vt expeditè, promptè, faciliter, & artificiosè operentur; ſine quibus imperfectè, & non ſine errore operarentur, & non ita facilè, vt optimè adnotauit Pater Tolet. libr. 1. ſuæ intro-

duct.cap.2.nam licet ego possim canere, pingere, sonare, &c. non tamen sine arte canendi, pingendi, sonandi, &c huiusmodi actiones prompte, artificiose, & perfecte efficere potero, sicut cum arte. Igitur cum logica facultas sit intellectualis, adinuenta ad hoc vt adiuuet ipsum intellectum cum contigerit operari, non abs re de operationibus intellectus fuit, sermonem instituere in hoc primo libro: immò nil aliud in tota hac parua logica docebimus; ita videlicet quod in hoc 1. libro de ipsis operationib. in genere, & in particulari de prima sermo erit, in secundo de secunda, in tertio verò, & vltimo de tertia.

PVNCTVM PRIMVM.

Quot sint actus nostri intellectus, & quomodo illis subordinetur Logica.


Peratio ergò nostri intellectus triplex est. Prima dicitur simplicium apprehensio. Secunda Iudicium. Tertia discursus. Dixi primam dici simplicium apprehensionem, non simplicem apprehensionem, (vt pleriq; censent) summa etenim differentia est inter illa duo: nam vtramque operationem habet intellectus noster: at verò simplex apprehensio est quædam operatio confusa, & imperfecta; cum potentia intellectiua necessario, & naturaliter feratur simplici quòdam intuitu in id quod sese illi offert: non tamen semper distinctè, & clarè considerat ea, quæ in ipso obiecto proposito sunt: sed in confuso apprehendit quicquid in tali obiecto existit; & in hoc videtur assimilari intellectus sensui externo: visui namque bene disposito, si obijciatur pulcra aliqua immago, illam simplici tantum intuitu, & confuso primo percipiet; & postea distinctè omnes illius partes, & lineamenta perspiciet: ecce quomodo in potentia visiua sunt duo actus, confusus nempè, & distinctus: ita similiter, quando nostro intellectui

lectui (qui dicitur oculus animæ) sese offert aliquid considerandum; primò necessario, & naturaliter fertur in illud simplici quodam intuitu, idest cognitione quadam imperfecta, & confusa, non enim statim distinctè cognoscit quicquid in illo obiecto cognoscere potest; & hic primus actus, & prima operatio dicitur simplex apprehensio: cæterum quando statim postea distinctè, & clarè considerat, & cognoscit singulas illius obiecti partes: diuersa operatio erit ista clara, distincta, & perfecta, & dicetur simplicium apprehensio; idest intuitio, sæù cognitio alicuius objecti cum suis partibus, siuè attributis simplicibus. Sit, maioris claritatis gratia, exemplum. Quando intellectui nostro obiicitur consideranda natura leonis; non statim eius essentiam, seù essentialia attributa perpendit: sed in confuso simplici, & imperfecta cognitione fertur in illam naturam: & hic actus dicitur simplex apprehensio: de inde distinctè procedit, & considerat in tali natura animalitatem, rugibilitatem, corporeitatem, & cæteras partes essentiales ipsius, & hic actus dicitur simplicium apprehensio, quia intellectus cognoscit attributa simplicia, & essentialia, quæ reperiuntur in proposito obiecto.

Sed dices: cur ergò non quatuor, sed tres diximus esse intellectus operationes? Respondeo; quia cum de actibus intellectus agimus, est tantum sermo de illis, qui ad scientiam pertinent idest de actibus distinctis, claris, & perfectis: non verò de confusis, & imperfectis, qui minimè pertinent ad scientiam. Cumque simplex apprehensio sit huiusmodi, nempè cognitio imperfecta, & confusa non est annumeranda inter opera intellectus scientifica.

Ex dictis colligitur, quid sit simplicium apprehensio: est enim distincta intuitio obiecti cum suis attributis simplicibus nihil affirmando, vel negando de illo: idest minime confirando vel iudicando conuenientiam, sæu disconuenientiam illorum attributorum cum eo cuius sunt attributa: hoc nam

quę pertinet ad secundum opus intellectus.

Id autem dicitur Iudicium, & est duplex, compositiuum, & diuisiuum: vnde ab aliquibus dicitur hæc secunda operatio, compositio, vel diuisio: siuè diuiditur iudicium in affirmatiuum, & negatiuum: quod idem est. Iudicium compositiuum siuè affirmatiuum, est quando intellectus, postquam apprehendit ea attributa, quæ in proposito sibi obiecto reperiuntur, iudicat illa conuenire ipsi obiecto, & facit predicationem affirmatiuam: vt quando intellectus iudicat, hoc, quod est, esse rugibile, conuenire leoni, & sic conficit hanc propositionem affirmatiuam, leo est animal rugibile: Dicitur iudicium compositiuum, siuè affirmatiuum: quia componit prædicatum cum subiecto affirmando de illo.

Vbi est pro nunc animaduertendum, illud dici prædicatum in aliqua predicatione ordinata, quod ponitur post verbum substantiuum sum, es, est; illud verò subiectum, quod ponitur ante verbum: vt in hac propositione, Homo, est, animal: homo, est subiectum; animal, predicatum.

Iudicium diuisiuum (secundum suam proprietatem, & in rigóre) tunc est, quando diuiditur aliquod totum in suas partes; vt corporis altera pars est materia, altera forma: Animalium aliud homo, aliud Brutum, &c. cæterum nos non solum in hac acceptione, sed latiori etiam modo accipimus iudicium diuisiuum; & est quando iudicat intellectus, aliquod prædicatum non conuenire subiecto, & sic facit propositionem negatiuam: vnde dicitur etiam negatiuum: vt quando iudico, hoc, quod est, esse latrabile, non conuenire leoni, & facio hanc propositionem negatiuam, leo non est animal latrabile, & dicitur iudicium diuisiuum, quia separat, & diuidit conuenientiam predicati à subiecto.

Tertia operatio est discursus: estque quando intellectus noster ex vi vnius iudicij ante facti colligit aliquam veritatem: vt cum ex eo quod iudicauit latrabilitatem non conuenire leoni, colligit hanc conclusionem: ergò leo non est

canis

canis: siquidem non conuenit illi latrabilitas, quæ est canis proprietas: & ex eo quod indicauit, leoni conuenire esse sensibile, colligit hanc veritatem: ergo leo animal est: siquidem sensibilitas est de essentia animalis, & cui esse sensibile conuenit, necessario conueniet esse animal. Et hæc est propria operatio hominis in hac vita, qua non tantum differt ab omni alio animali, verùm etiam ab Angelis, & à Deo, qui non intelligunt discurrendo, sed simplici intuitu (vt docet Sacra Theologia.)

Iuxta has tres operationes intellectus dantur in logica tria instrumenta principalia, quibus vtitur logicus ad sua munera patranda, veritatemque elucidandam: huiusmodi sunt, Diffinitio, Compositio, vel Diuisio, & Argumentatio: quæ instrumenta principalia componuntur ex alijs minus principalibus, nempè ex terminis, nominibus, verbis, subiectis, predicatis, propositionibus, orationibus, & alijs, quæ sigillatim suis locis explicabuntur.

Sed Argues: nulla res potest esse instrumentum sui ipsius: sed nil aliud docemur in logica, quam scire diffinire, diuidere, & argumentari (vt infra patebit) ergo Diffinitio, Diuisio, & Argumentatio non possunt esse instrumenta logicæ. Rspondeo, quod instrumentum potest duobus modis considerari, vel in fieri: quando scilicet ab artifice fit, vt cum malleus conficitur à fabro ferrario: & in facto esse: idest quando, postquam cōfectus est malleus, deseruit artifici ad opus suum: primo modo non dicitur instrumentum: sed effectus, & opus artificis: secundo modo dicitur instrumentū, & est id, quod virtute principalis agētis operatur aliquid intentum ab ipso agente, quod se solo efficere non valebat: Vnde instrumenta logicæ scilicet Diffinitio, Diuisio, & Argumentatio nō dicuntur instrumēta, quando conficiuntur, vel quando docemur illa cōficere: nā tunc potius dicuntur opus ipsius logicæ: sed dicuntur instrumenta quando logico deseruiunt ad discernendam aliquam veritatem à falsitate:

His

His tamquam valde necessarijs præsuppositis; sciendum est, quod cum logica ordinetur ad dirigendas operationes intellectus, in tot partes præcipuas diuiditur, quot sunt ipsæ operationes. Prima ergo pars logicæ concernit tantum compositionem Diffinitionis, quæ ad primum pertinet intellectus opus. Secunda compositionem Diuisionis, quæ ad secundam operationem spectat. Tertia compositionem Argumentationis, quæ ad Discursum, tertium intellectus pertinet actum.

Dixi Diffinitionem pertinere ad primã operationẽ intellectus: nam quando intellectus aliquid diffinit, nil aliud efficit, quam apprehendere in illo eius simplicia attributa: vt quando vult diffinire Hominem, apprehendit in eo suas partes essentiales, nimirum animalitatem, & rationalitatem, & sic conficit hanc diffinitionem, Animal rationale. Prima ergo pars logicæ continet librum quinq; vocum Phorphyrij, & librum Predicamentorum Aristotelis, qui deseruiunt Diffinitioni. Voces quidem Porphyrij: nam in illis agit dictus author de Genere, & differentia; quæ sunt partes diffinitionis essentialis. De Proprio, & Accidenti, quæ pertinent ad diffinitionem accidentalem siuè propriã, siue communem, & tandem de specie, quæ semper est diffinitum in bona diffinitione (vt suo loco dicam.) Deseruiunt etiam diffinitioni Prædicamenta Aristotelis: nam in illis agitur de omnibus prædicatis tum essentialibus, tùm accidentalibus ex quibus coalescit omnis diffinitio.

Compositio, & diuisio secundum logicæ instrumentum ad iudicium secundam intellectus operationem spectat: cõponere enim, & diuidere (vt supra explicuimus prout à nobis sumuntur) nil aliud est, quam in propositione affirmare, vel negare aliquid de aliquo, predicatum nimirum de subiecto, in quo rationem iudicij consistere diximus, siuè affirmatiui, siuè negatiui. Quare secunda logicæ pars, cum ordinari debeat ad compositionem, efformationemq; huius in-

instrumenti, erit tractatus de interpetratione, qui in duos libros diuiditur, nuncupatos Perhiermeniarum: ideft de interpetratione, in quibus agitur de terminis, nomine, verbo, oratione, propositione, & reliquis, ex quibus omnis compositio, siue diuisio constat.

Argumentatio tandem subditur discursui: nil enim aliud est argumentari, quam vnum ex alio inferre. Sed cum multiplex sit Argumentatio, quatuordecim libros tertia, & vltima logicæ pars continet, in quibus de omni argumentatione differitur. Duo primi dicuntur Priora Analitica, in quibus agitur de forma Argumentationis in comuni. Duo sequentes nuncupantur Posteriora Analitica, in quibus sermo fit de Demonstratione, siue de Syllogismo Scientifico. Octo sequentes dicuntur libri Topicorum, in quibus tractat Arist. de Syllogismo probabili. Tandem duo vltimi nuncupantur Elenchi, & in illis disputat Philosophus de Syllogismo falsigroso, seu sofistico, quæ omnia hoc ordine tractabimus. Primo de Diffinitione, & eius partibus instituetur sermo. Deinde de reliquis iuxta ordinem ipsarum operationum nostri intellectus.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quid, & quotuplex sit diffinitio, & quot sint præcepta bonæ diffinitionis.

ARistotiles multis in locis, præsertim secundo post: capit. 10. Diffinitionis hanc diffinitionem assignat: Oratio (inquit) est, ipsum quod quid erat esse rei significans, hoc est; significans naturam alicuius rei. In qua diffinitione extant omnia præcepta optimæ diffinitionis, infra à nobis assignanda, vt statim consideráti patebit: dicitur in primis (oratio) ad differentiam vocum simplicium, quæ non sunt orationes, cum oratio sit quid compositum ex pluribus terminis; vt, animal rationale, dicitur deinde; naturam alicu-

alicuius rei significans, siuè explicans: ad differentiam illarum propositionum, & orationũ, quæ nõ explicant naturam rei, vt animal album; vel duos oculos habens, bipes, &c. quæ licet sint orationes: non tamen diffinitiones, cum alicuius diffiniti naturam minimè explicent.

Sed petes: quid diffiniat Aristoteles hac diffinitione? Pro cuius intelligentia est animaduertendum, quod illud quod diffinitur per aliquam diffinitionem dicitur diffinitum: Hoc autem diffinitum communiter diuiditur in proximum, & remotum: siuè, vt alij dicũt, formale, & materiale. Formale, siuè proximũ, dicitur à Metaphisicis diffinitum quo: materiale verò, & remotum diffinitum quod. Illud dicitur principale: hoc minus principale. Diffinitum principale, seù quo, seù formale, seù proximum, quæ omnia idem sunt, est id, cuius natura primo, & principaliter per diffinitionem explicatur: diffinitum verò minus principale, sæù quod, sæù materiale, sæù remotum, est illud, cuius natura secundario per diffinitionem explicatur.

Sed difficultas consistit in explicando, quod nam sit hoc diffinitum principale, & quod diffinitum minus principale, & remotum? Soto cap. 4. libr. 5. & alij nonnulli cum eo asseuerant, diffinitum primarium, & proximum esse vocem ipsam: remotum verò, & secundarium, esse rem ipsam per talem vocem significatam. Sed certè procul abest hic author à rei veritate: nàm diffinitio rei nulla ratione conuenit voci: tantum enim explicat ipsius rei naturam, & essentiam.

Quarè Villalpandus primo lib. summul. cap. 5. ait diffinitum primarium, & proximum illud esse, cuius natura explicatur per definitionem, vt ab ipso significatur: remotum verò, & secundarium, cuius natura non explicatur per diffinitionem, vt per illud significatur, vt in hac diffinitione hominis. Animal rationale: diffinitum proximum (inquit) est homo: in ea enim natura hominis explicatur, quæ per illam vocem, homo, significatur: risibile verò est huius diffinitio-

nis

nis secundarium, & remotum diffinitum: non enim in huius modi diffinitione significatur per se primo per vocē homo risibile, vt risibile.

Fonseca tandem lib. 1. dial. cap. 8. asserit, diffinitum proximum, & immediatum illud esse, cuius integra, & tota vis naturæ adæquatè, & immediatè diffinitur: itaut diffinitio de diffinito, & diffinitū de diffinitione conuersim dicantur v.g. in hac diffinitione, homo animal rōnale: homo diffinitū est proximum quicquid enim in illo cōtinetur immediatè; & proximè per huiusmodi diffinitionem explicatur. Diffinitum verò remotum, & mediatum illud esse docet, quod ideo diffinitur per talem diffinitionem: quia vel continetur in diffinito proximo, vel continet illud, vnde in diffinitione prædicta (ait) diffinitum remotum est Petrus, Paulus, &c. hæc enim indiuidua verè diffiniuntur prædicta diffinitione quatenus cōtinent, & claudūt naturam specificam, quæ proximè, & adæquatè diffinitur; sed diffiniuntur, vt diffinita remota.

Vtraq; hæc vltima opinio potest esse sufficiens, ad explicandum intentum, si sano iudicio explicetur. Vnde non diffinitum remotum posse esse duplex: primum diffinitum remotum est illud, quod est accidentale illi diffinitioni, cuius est diffinitum remotum, & sic accidentaliter illi talis diffintio competit, non essentialiter v.g. in hac diffinitione termini: terminus est signum orationis constitutiuum, &c. terminus, vt terminus est diffinitum proximum, & essentiale huic diffinitioni: homo autem est diffinitum remotum, & accidentale: quia accidentaliter illi conuenit esse signum orationis constitutiuum: quia, esse terminum, illi non primario, sed secundario conuenit, & per accidens: & sic cum in tali diffinitione non assignetur eius essentia specifica, scilicet animal rationale: nec generica; scilicet substātia corporea sensibilis, inde est quod, & diffinitio sit illi accidentalis, & ipse sit accidentale diffinitum talis diffinitionis.

Aliud diffinitum est illud, quod est essentiale illi diffinitioni, cuius est diffinitum remotum, & sic essentialiter illi talis diffinitio competit, & si non proximè, cum non assignentur in illa eius prædicata essentialia proxima, sed remota, & communiora, vt in hac diffinitione hominis; Animal rationale: diffinitum proximum (inquit Fonseca) est homo: quia in hac diffinitione assignantur prædicata sibi proximè essentialia, qualia sunt, animal, & rationale, diffinitum verò remotum est Franciscus, Petrus, &c. quibus, quia homines sunt, essentialiter competit hæc diffinitio, sed remotè, cum non explicetur eius natura per prædicata proxima, & immediata, qualia essent, homo, & eorum differentiæ indiuiduales: sed per prædicata remota, & communia, qualia sunt animal, & rationale, quæ sunt omnibus hominibus communia. Et sic sententia Villal. potest esse vera loquendo de prædicato remoto; quod est accidentale ipsi diffinitioni, vt patet in exemplo ab ipso assignato, scilicet in hac diffinitione, animal rationale, homo in quantũ homo est diffinitum proximum, & essentiale: at risibile (inquit) est diffinitum remotum: nam cum risibilitas sit accidens proprium hominis, per accidens etiam erit diffinitum in diffinitione hominis, & risibili accidẽtaliter, & remotè conueniet diffinitio hominis.

Sententia verò Fonsecæ etiam est vera, loquendo de diffinito remoto, quod est essentiale diffinitioni, cuius est diffinitum remotum: vt patet in exemplo ab ipso adducto: hoc tamen secundum diffinitum proprius dicitur diffinitum remotum: nam Arist. multis in locis, id idem docet. Vnde sic esse intelligendam illam regulam antepredicamentalem; (Quando alterum de altero prædicatur, quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de subiecto) fatentur omnes: idest; Quando alterum de altero prædicatur (supple) immediatè: quicquid prædicatur de prædicato (immediatè) prædicatur etiam, & de subiecto (mediatè) sit

exem-

exemplum. Animal rationale, prædicatur immediatè de homine, & homo immediatè de Francisco, Petro, &c. ergo animal rationale prædicatur de Francisco, Petro, &c. non immediatè, sed mediatè, ecce quomodo Franciscus, Petrus, &c. sunt diffinita mediata, & remota diffinitionis hominis: homo verò diffinitum proximum, & immediatum.

His positis, petitioni factæ respondendum est: Dico ergo; quod duplex potest assignari diffinitum, Diffinitionis traditæ ab Arist. de diffinitione, proximum nempè, & remotum: Diffinitum proximum, & immediatum est diffinitio in communi, quatenus scilicet sub se comprehendit tam diffinitionem essentialem, quam accidentalem, Diffinitum verò remotum, & mediatum sunt diffinitiones essentiales, & accidentales, vt sic. Ratio est: quia diffinitio essentialis, licet essentialiter competat ipsi diffinitioni in communi: quia tamen nō diffinitur per illam secūdum suas rationes immediatas, & proximas, sed per mediatas, & remotas: nam explicare naturam rei est, ratio communis omnibus diffinitionibus: explicare autem naturam rei per essentialia, vel per accidentalia: hoc est particulare diffinioni essentiali; vel accidentali; dicuntur ergo hæc diffinita remota essentialia: quia illis essentialiter competit natura diffiniti proximi, quod est diffinitio in communi, nempè, rei naturam explicare. Ast vero diffinitum remotum accidentale ipsius diffinitionis possumus dicere quod sit quælibet proprietas cuiuslibet diffinitionis, nimirum, quod constet genere, & differentia; quod sit clarior diffinito, &c. hæ namque proprietates cum sint quasi accidentia ipsius diffinitionis, eo prorsus modo, quò risibilitas est accidens hominis: sicuti diffinitio hominis per accidens conuenit risibilitati, & risibilitas est diffinitum remotum accidentale ipsius diffinitionis: ita à simili diffinitio diffinitionis in communi per accidens conuenit his proprietatibus, quæ sunt diffinita remota accidentalia ipsius.

Postquam ergo diffinitionis natura nobis innotuit opus est scire quotuplex sit diffinitio : seù quod species sub se contineat diffinitio in comuni. Prima diuisio diffinitionis fit in diffinitionem nominis, seù vocis, & diffinitionem rei. Diffinitio nominis seù vocis est oratio explicans significationem ipsius nominis, quæ propriè, comuniter, ethimologia, seù interpetratio nominis dicitur; v. g. si quis peteret, quid vult dicere, Sacerdos? optimè petitioni satisfaceres per ly, (dans sacra) & hoc nomen, album, quid sibi vult? habens albedinem, & infinitum? quod non habet finem, & similia. Hæc autem largè, & impropriè dicitur diffinitio. Rei verò diffinitio, quæ propriè diffinitio est, dicitur esse oratio explicans naturam ipsius rei, vt animal latrabile, quæ naturam canis exactè explicat, ac declarat.

Sed hæc Diffinitio rei (& sit secunda diffinitionis diuisio) diuiditur in diffinitionem accidentalem, seù descriptiuam; & in essentialem. Diffinitio accidentalis, seù descriptiua est oratio explicans naturam alicuius rei per extrinseca ipsius, seù per attributa accidentalia siuè sint propria, siuè communia: per accidentia propria : vt Homo est animal risibile : nam risibilitas est accidens proprium hominis: per accidentia communia, vt homo est animal bipes, implume, magni cerebri, &c. quæ accidentia licet sint communia pluribus animalibus: non enim tantum homo bipes est: neque tantum homo est implumis: neq; solus homo magnum habet cerebrum: nihilominus tamen : omnia hæc accidentia simul sumpta exactè explicant ipsius hominis conditionem, siquidem, vt sic, soli homini conueniunt. Licet enim auis sit bipes: habet tamē pennas, estq; parui cerebri: & licet equus sit implumis; magniq; cerebri: nihilominus tamen est quadrupes. Solus ergo homo animal est bipes, implume, ac magni cerebri, & ideo dicitur hæc diffinitio accidentalis: quia non datur per essentialia rei, & intrinseca: sed per extrinseca, & accidentalia. Diffinitio verò essentialis illa est, quæ

quæ explicat naturam rei, per eius attributa essentialia, & intrinseca, vt animal rationale: est essentialis hominis diffinitio; siquidem rationalitas est de intrinseca, & essentiali ratione ipsius.

Diuiditur etiam hæc diffinitio essentialis (& fit tertia diuisio diffinitionis) in diffinitionem essentialem metaphisicam, & in essentialem phisicam. Diffinitio essentialis metaphisica est illa, quæ explicat essentiam rei per partes essentiales metaphisicas: hæ autem sunt, Genus, & Differentia. Genus, pro nunc, illud dicitur, quod non solum conuenit diffinito, sed etiam alijs speciebus sub eodem genere contentis, & differentia illa dicitur, quæ taliter conuenit diffinito, vt nulli alteri conueniat, & per quam diffinitum differt ab omni alia specie contenta sub eodem genere, vt animal rationale: est diffinitio essentialis metaphisica hominis, in qua, ly, animal, est genus: quia non solum competit homini, sed etiam, cani, leoni, equo, & reliquis speciebus sub eodem animali contentis, ly, rationale est differentia: quia taliter conuenit homini, vt nulli alteri speciei conueniat, & per quam homo differt, & à cane, & à leone, & ab equo, & ab omnibus alijs speciebus sub animali contentis, atq; ideo dicitur differentia: quia differre facit.

Diffinitio essentialis phisica est illa, quæ explicat essentiam rei per partes essentiales phisicas, quæ sunt materia, & forma; vt homo est compositus ex corpore, & anima rationali, corpus est pars materialis phisica: anima verò rationalis est pars formalis.

Nonnulli addunt aliam Diffinitionis speciem, nempè causalis, vt videre est apud Fons. lib. 5. cap. 4. & Tolet. lib. 1. cap. 4. & est quando diffinitur res per suas causas. Tamen, quia non sunt res sine necessitate multiplicandæ, ideo aduertite, quatuor esse rerum causas, nempe efficientem: vt filij, Pater dicitur esse causa efficiens: quia homo generat hominem efficienter; & Deus vt prima omnium causa dici-

tur

tur etiam causa efficiens omniũ rerum; & Sol dicitur etiam causa vniuersalis efficiens rerum generabilium, & corruptibilium: vnde Porphirius, cap. de specie asserit, solem, & hominem, hominem generare. Secundum genus causæ est genus causæ materialis, vt hominis causa materialis est corpus: tabulæ verò lignum: & hæc causa causat recipiendo in se formam, vt corpus recipit in se animam: lignum verò formam tabulæ, scanni, &c. Tertium verò causæ genus, est genus causæ formalis, vt hominis causa formalis est anima: & hæc causa dicitur informando materiam, causare. Vltimum tandem est genus causæ finalis, vt causa finalis hominis est beatitudo: nam homo ad beatitudinem consequendam creatus est, quæ causa causat mouendo ad desiderium, & amorem sui, vt 2. phis. dicitur, dum de causis agitur à philosophis.

His positis iterum notate, ex his causis efficientem, & finalem esse causas extrinsecas, quia causant à foris, & mediante aliquo alio: nempè efficiens causat medianubus dispositionibus à se productis, vt ignis mediante calore, &c. finalis verò causat, vt obiectum, mediante specie repræsentatiua sui à se producta in mentem hominis, & sic quando datur diffinitio per has duas causas extrinsecas, eam reducendam esse censeo ad genus diffinitionis descriptiuæ, quæ datur per extrinseca rei; at verò causa materialis, & formalis causant dando se ipsas immediatè, & intrinsecè, & sunt intrinsecæ, & essentiales ipsi causato: & quia diximus diffinitionem datam per intrinseca, & essentialia esse diffinitionem rei essentialem; ideo diffinitio assignata per causas materiales, & formales ad id genus diffinitionis essentialis reducenda est, non metaphisicæ, sed phisicæ, quæ datur per materiam, & formam vt diximus.

Non defuere etiam, qui senserint dandam esse definitionem mediam, seù mixtam ex altera parte essentiali, & ex altera accidentali, qualem esse dicebant, animal risibile, &

alias huiusmodi: animal enim genus essentiale est respectu hominis: at verò risibile se habet vt differentia accidentalis. Cæterum meo videri huiusmodi genus diffinitionis reducendum est ad genus diffinitionis accidentalis, & ratio quæ me mouet ad id asserendum, (quicquid alij dicant), ea est: quia (vt dicunt Theologi, & Philosophi morales) bonum debet esse ex integra causa, & ex omnibus partibus, & circumstantijs optimum: at verò ad hoc, vt aliquod dicatur imperfectum, & deuians à perfecto bono, sufficit quod vnica tantum circumstantia imperfecta sit, & mala (vt discurrenti per omnes virtutes morales facile patebit.) Cumq; diffinitio essentialis habeat rationē omptimæ, veræ, ac perfectæ diffinitionis apud omnes logicos: nisi detur per omnes partes perfectas, & essētiales nō erit essētialis: diffinitio verò accidentalis, cū habeat rationem cuiusdam diffinitionis non ita perfectæ, siquidem (vt optime vidit Tolet. lib. 1. cap. 4.) non quid res: sed potius qualis sit, significat; sufficit quælibet pars accidentalis, ad hoc vt dicatur accidentalis diffinitio. Restat ergo hanc diffinitionē, animal risibile, & reliquas huiusmodi non constituere diuersum diffinitionis genus, sed pertinere ad diffinitionem accidentariam, seù descriptiuā.

Vltimum tandem, quod titulus huius capitis expostulat est; quot sint præcepta, & regulæ optimæ diffinitionis, & licet quamplurimæ à dialecticis bene diffiniēdi leges assignētur ex Arist. de sumptæ 6. topic. tamen ad tres facilè reduci possunt. Quarum prima sit: quod diffinitio constet ad minus duabus partibus, altera quæ se habeat vt proprium genus diffiniti, altera verò quæ se habeat, vt propria ipsius differentia. Circa quam legem aduertite, quod (vt supra diximus) diffinitio debet esse oratio, & sic pluribus terminis constans. Sed quia longa & prolixa oratio non caret vitio, quoad fieri potest, illam ad pauciores quos possumus terminos reducere debemus, vt optime Fonseca lib. 5. cap. 13. itaq. ad minus duobus terminis constare debet. Iterum circa

eandem

eandem legem notate, quod cum diffinitio sit instrumentum sciendi, ea tantum possunt verè, & propriè diffiniri, de quibus potest haberi scientia: cumq. (vt docet Arist. 1. post & alibi,) scientia tantum sit de rebus vniuersalibus, sequitur quod semper diffinitum optimæ diffinitionis, & scientificæ debeat esse quid vniuersum, non singulare; cum de singularibus non habeatur scientia, ergo neq; diffinitio scientifica. Preterquam quod omnibus compertum est, latere nos differentias omnes indiuiduales. Sed quia natura vniuersalis vel est genus, vel species, id quod diffinitur necessario debet esse species: ratio est: quia diffinitum semper in propositione est subiectum, quatenus autem subiectum est, non potest esse genus: ergo quatenus diffinitum est necessario debet esse species, & quia species essentialiter componitur ex genere, & differentia: ideo ad explicandam essentiam diffiniti per aliquam diffinitionem, dico debere talem diffinitionem constare ex genere, & differentia: genus dicitur pars materialis essentiæ rei: differentia verò pars formalis (vt alibi dicam).

Vnde ob defectum huius regulæ in primis non valet hæc diffinitio: homo est rationalis: quia deficit altera pars, nempè genus. Et aduertite, quod dixi, optimam diffinitionem debere constare non ex quocumq; genere, & quacumq; differentia: sed ex proprio genere, idest immediato, & propria differentia, idest immediata: quia bene posset assignari diffinitio ex genere: & differentia non proprijs; idest non immediatis, quæ non esset bona diffinitio: vt animal est substantia rationalis. Licet differentia, nempè, rationalis, sit propria, & immediata differentia: tamen ly substantia non est immediatum genus hominis: & sic hæc diffinitio competit etiam Angelo, qui est substantia habens potentiam rationalem, nempe intellectum. Et hæc diffinitio: homo est animal sensibile, non est bona: quia licet genus, nempè, animal sit proprium, & immediatum genus hominis: tamen diffi-

differentia, nempè, sensitiuum, non est propria, & immediata differentia ipsius, quare competit etiam brutis hæc diffinitio: debet ergo assignari per genus immediatum, & differentiam immediatam, quæ magis innotescent ex infra dicendis.

Et tunc cognoscetis dari per propriũ genus, & propriam differentiam; quando diffinitio conuertetur ad inuicé cum suo diffinito, vt homo est animal rationale: animal rationale est homo, optima conuersio: hæ autem diffinitiones deficientes minimè conuertuntur cum diffinito, nimirum, homo est substantia rationalis, non valet conuersio, substantia rationalis est homo: quia in plus se habet diffinitio, quam diffinitum, conuenit enim etiam Angelis, vt dixi, & diffinitio tantum debet explicare naturam diffiniti, ita vt tantum contineat diffinitio, quantum diffinitum ipsum continet, vt in tertia lege dicam; neque hæc conuersio valet, homo est animal sensitiuũ: animal sẽsitiuũ est homo, propter eandem rationem: in plus enim se habet animal sensitiuum quam homo: quia leo, canis, &c. sunt etiam animantia sensitiua.

Secunda lex sit, quod bona diffinitio sit clarior suo diffinito, ratio est: nam cum diffinitio debeat esse alicuius ignoti manifestatiua, vtimur ea, vt distinctè, & clarè naturam alicuius rei nobis ignotæ, cognoscamus: vnde si diffinitio sit obscurior, & ignotior ipso diffinito, vel etiam æquè obscura, non poterit tribuere nobis maiorem, & clariorem ipsius diffiniti notitiam, vt si dicerem, homo est Micochrosmos, vel arbor inuersa, vel est animal quodam, quod est homo, non rectè naturam hominis explicarem, & manifestarem, immò potius difficilior nobis redderetur eius notitia, sic habet Aristoteles 6.top. cap. 2. & 5.

Vltima lex est, quod in optima diffinitione nil debet esse superfluum, & nil diminutum. Illud dicitur superfluum in diffinitione quo ablato remanet diffinitio optima, & exactè explicat naturam diffiniti, vt homo est animal rationale

mortale;est superflua diffinitio propter illam particulã, mortale, qua ablata restat optima diffinitio, explicans exactè naturam hominis. Diffinitio diminuta seù manca illa dicitur, cui aliquid de est ad naturam diffiniti manifestandam, vt homo est animal mortale: non manifestat exactè naturam hominis hæc diffinitio: quia etiam reliqua animantia mortalia sunt: ergo aliquid de est huic diffinitioni, quod taliter conuenit homini; vt soli illi conueniat: hoc autem est differentia essentialis ipsius, qua posita, erit optima diffinitio; dũmodo tollatur ex illa, ly mortale: esset enim vt sic superflua, & hactenus de preceptis, & legibus diffinitionis.

Solent hic iuniores addere duos modos arguendi per diffinitionem; vt videre est apud tolet. lib. 1. cap. 5. primus est, cuicumq; conuènit diffinitum, etiam diffinitio conueniet, & è contra; cuicumq; conuenit diffinitio, etiam, & diffinitum conueniet, vt sortes est homo? ergo est animal rationale, est animal rationale? ergo homo est. Sic etiam negatiuè, cui non competit diffinitum, neq; diffinitio, & cui diffinitio minime competit, neq; conueniet diffinitum, vt canis non est homo: ergo neq; animal rationale; non est animal rationale? ergo neq; est homo.

Secundus modus est, quicquid conuenit diffinito, etiam conueniet diffinitioni, & è contra, quicquid diffinito repugnat, & ipsi diffinitioni repugnabit, vt homo est risibilis? ergo animal rationale risibile est: homo non est leo? ergo neq; animal rationale est leo.

Sed nota duplicem posse petitionem fieri de aliqua diffinitione; sicut duplex principaliter potest de aliquo diffinito fieri petitio, petitiones de diffinitione sunt; Quæ & qualis: ad interrogationem factam per Quæ? debemus respondere per species diffinitionis, nempè essentialis, si sit essentialis: accidentalis verò, si accidentalis sit vt quæ, diffinitio est ista, homo est animal risibile? accidentalis. Ad interrogationem verò factam per Qualis? debemus respondete per qualitates ipsius

ipsius diffinitionis: duplex autem est qualitas diffinitionis, bonitas, & falsitas. Itaq; interroganti, Qualis diffinitio est ista, homo est animal bipes? Dices, esse falsam: non enim explicat naturam diffiniti ob defectum tertiæ legis supra assignatæ. Qualis ista; homo est animal rationale? optima, & sic de singulas.

Petitiones etiam quæ de aliquo diffinito præcipue fieri solent (omm ttendo petitiones causarum) sunt, quid, & quale, ad interrogationem factam per quid? debemus respondere per diffinitionem essentialem, vel etiam (vt aliqui doctissimi iuniores fatentur) per accidentalē propriam, idest per illam quæ datur per accidens proprium, quæ licet sit accidentalis; est nihilominus essentiali proxima, & quasi essentialis, cum proprietas rei dimanet ab eius essentia; & sic cum vltimæ rerum differentiæ nos lateant, loco differentiæ essentialis, bene possumus ponere proprietatem, seu propriam passionem, vt interroganti, Quid est leo? optimè respondebimus, esse animal rugibile; licet rugibilitas non sit differentia essentialis, sed propria passio; dimanans tamen ab eius essentia, quæ nobis ignota est. Ad interrogationem verò factam per quale? debemus respondere per diffinitionem accidentalem communem, idest per eam, quæ datur per accidentia communia.

In calce huius vtilissimi puncti notandum duxi modum quendam efficacissimum inuestigandi facile diffinitiones rerum, traditum ab Arist. 2. post cap. 14. Cupiens ergo (docet philosophus) alicuius rei diffinitionem inuestigare, prius debet perscrutari genus supremum talis rei, quod, vt commodè fiat, diuidendum est ens in communi in suas immediatas species, quæ sunt illa decem generalissima; & inuento genere, sub quo talis res collocatur, illud diuidendum est per contrarias differentias, quoadusq; perueniatur ad vltimam, quæ rei difiniendæ adequetur; sit exemplum.

Ad inuestigandam diffinitionem hominis, oportet prius

inquirere genus supremum, quod prestabitur media diuisione entis in communi, sic: omne ens diuiditur in substantiam, & accidens: sed homo est ens, & non est accidens: quia neq; quantitas; neq; qualitas, &c. ergo est substantia. Posito iam homine sub predicamento substantię, diuide hoc supremnm genus, quoad vsq; peruenies ad illam differentiam, quæ reciprocatur cum ipso homine, hoc modo. Homo est substantia? ergo vel corporea, vel incorporea: non incorporea ergo corporea: est corporea? ergo vel animata, vel inanimata: non inanimata, vt patet: ergo animata. Homo est substantia corporea animata? ergo vel sensiens, vel non sensiens: non est non sensiens, vt patet: ergo sensiens, sed quia hæc differentia nempè sensiens competit etiam brutis, non erit propria, & essentialis ipsius hominis: differentia enim est, quæ facit distinguere, & differre id, cuius est differentia à quocumq; alio: ideo vlterius diuide. Homo est substantia corporea, animata sensiens? ergo vel rationalis, vel irrationalis: non irrationalis, quia discurrit, ergo rationalis: at verò quia differentia hæc reciprocatur cum ipso homine, ideo sistendum est in ipsa, dicentes: Homo est substantia, corporea, animata sensiens, rationalis. Sed quia bona diffinitio debet quoad fieri potest esse breuis, & ità per vnicum tantum genus, idq; immediatum, & vnicam, immediatamq; differentiam; ideò derelictis alijs superioribus, accipiendum est vltimum, quod est proximum ipsi homini, & vltima differentia, & conficere sic diffinitionem; Homo est animal rationale. Huiusmodi inuestigandi diffinitionem exercitium, licet tyrunculis supremorum generum ignaris videatur difficile, hoc loco tamen ipse modus statuitur vbi de diffinitione differuimus, & hactenus de diffinitione.

PVN-

PVNCTVM TERTIVM
Quid, & quotuplex sit vox.

EXplicatis iam optimæ diffinitionis legibus, & natura, oportet ad eius partes, nempè ad eas, quæ ad ipsius compositionem pertinent, deuenire explicandas, quæ quidem (vt punct. primo diximus) sunt decem Aristotelis Cathegoriæ, & quinque Porphyrij predicabilia: Cathegoriæ quidem, nam in illis collocantur omnia predicata, tùm essentialia, tùm accidentalia, ex quibus componitur, omnis diffinitio. Prædicabilia verò, cum in illis reperiantur genus, & differentia essentialis, quæ sunt partes (vt diximus) essentialis diffinitionis; Proprium, & Accidens, ex quibus coalescit descriptio siuè, accidentalis diffinitio, & tandem species, quæ in optima diffinitione semper reperitur loco diffiniti, vt supra tetigi, docetq; Aristoteles 7. metaph. capit. 15. vbi videtur asserere, quod quicquid definitur, definiri debet in quãtum species est. Id idem videtur annuere Porphy. cap. de specie, cum, ex sententia Plat. ait quod cum peruentum fuerit vsq; ad vltimas species, ab ipsis non est vltrò descendendum per diuisionem: quia cum diuisio generis fiat per differentias diuidentes, non ad huc habemus scientiam de differentijs, per quas diuidi possit homo in sua indiuidua, cum indiuiduorum essentiæ sint nobis ignotissimæ (vt supra dixi) vnde optime ait Aristotiles, quod de corruptibilibus non habetur scientia: nomine autem corruptibilium intelligit ipsa indiuidua; & idem est dicere, quod de indiuiduis non habetur scientia, ac dicere, quod de ipsis non potest assignari doctrinalis diffinitio, cum diffinitio sit quædam scientia de aliquo ignoto.

Potest etiam id idem sic fortius probari; nempè quod sola species possit diffiniri, & primo certum est, quod genus,

vt



vt genus non poſſit diffiniri, ſed vt ſpecies: (vt pun. preced. tetigi) quia cum genus duplicem habeat reſpectum, alterum ad inferiora, qua ratione nulli alteri ſuperiori prædicato ſubditur (vt infra patebit) ſed conſideratur, vt ſuperius multis ſpeciebus, qua ratione dicitur propriè genus alterum verò ad predicata ſuperiora, & communiora: hac autem ratione, cum poſſit actualiter conſiderari ſine eo, quod prædicetur de pluribus ſpeciebus; imò quod de ipſo ſuperiora genera predicentur, non dicitur genus, ſed ſpecies, & vt ſic diffinitur, non autem, vt genus: quia diffinitum ſemper reſpicit primam diffinitionis partem, ſcilicet genus, vt ſuperius, ſed de eſſentia generis, vt generis, eſt non reſpici a ſuperiori, ſed reſpicere inferiora: ergo in diffinitione non poteſt eſſe diffinitum genus in quantum genus: ſed in quantum ſpecies.

Si ergo aliquid aliud poſſet diffiniri illud eſſet indiuiduum: ſed quod neq; indiuiduum poſſit diffiniri, probatur alia peculiari ratione ſic. Indiuiduum non addit ſupra ſpeciem aliquid, quod pertineat ad conceptũ formalẽ naturæ contẽtũ in ipſa ſpecie: ergo nõ poterit eſſe diffinitũ in diffinitione doctrinali: conſequẽtia patet: quia diffinitio eſt oratio explicans naturam rei: ergo ſi indiuiduum, vt indiuiduum nullum nouum gradum perfectionis formalis addit ipſi naturæ ſpecificæ, quid de ipſo diffinitio explicabit? Illud primũ antecedens, ſcilicet indiuiduum nullum addere ſupra naturam ſpecificam conceptum formalem nouum: patet: quia indiuiduatio tantum eſt modificatio, & determinatio quædam, quaſi materialis alicuius naturæ completæ in ſua ſpecie ad eſſe materiale talis ſubiecti: ſed determinatio ſe habet ex parte modi, & non ſubſtantiæ, & eſſentiæ: ergo nil addit ſupra ſpeciem, quod pertineat ad conceptum formalem naturæ; qui integer, & completus continetur in ſpecie: ergo ſola ſpecies poteſt eſſe diffinitum in diffinitione doctrinali.

Ingrediuntur ergo diffinitionem aliquam ſpecies vt diffinitum,

nitum;genus, & differentia, vt partes diffinitionis essentialis; proprium, & accidens, vt partes diffinitionis accidentalis, quæ quinque continentur in libello Porphyrij, qui cum inscribatur de quinque vocibus, sciendũ prius oportet, quid & quotuplex sit vox?

Vox communissime sumpta sic diffinitur: sonus ex ore animalis prolatus certis quibusdam naturalibus instrumentis efformatus. In primis dicitur, sonus: quia sonus est ictus duorum corporum solidorum, vt quando duo lapides adinuicem percutiuntur, rumor ille, & strepitus causatus ex tali percussione dicitur sonus. Deinde dicitur, ex ore animalis prolatus, quia non quilibet sonus est vox: sed tantum ille, qui ab ore animalis profertur: dicitur etiam (certis quibusdam naturalibus instrumentis, &c. vox enim hoc modo efformatur. Ex pulmone oritur fistula quædam, cuius caput est guttur, in cuius orificio est quædam lingula paruula: nascitur ergo ex pulmone aer, qui immissus ingreditur fistulam, & percutit, transiens, illam lingulam, & ex hac percussione fit vox.

Vocis diuisio multiplex assignari solet: prima in vocem significatiuam, & non significatiuam. Significatiua, est sonus ex ore animalis prolatus cum instituto aliquid significandi, & qua audita aliquid percipitur, vt homo, animal, &c. Non significatiua verò est sonus ex ore animalis prolatus sine instituto aliquid significandi, & qua audita nil percipitur vt bif, baf, buf, &c.

Secunda diuisio, vocis significatiuæ, in significatiuam ad placitum, & significatiuam naturaliter. Vox significatiua naturaliter est, quæ apud omnes nationes eiusdem est significationis; vt Hominum ploratus, qui apud omnes aliquem dolorem, & angustiam denotat: huiusmodi etiam sunt canis latratus, &c. ad placitum verò est, quæ non apud omnes nationes idem significat, idq; ob varietatem linguarum, vt hæc vox (Barone) apud nos qui huius Regni Neapolitani

ni sumus significat Dominum alicuius castri, terræ, vel etiam ciuitatis, vnde & Principes, & Duces, & Marchiones, & Comites particulares huius Regni dicuntur Barones: at verò eadem vox Romæ non hoc significat, quin potius nomen est iniuriæ, & vilipendij, & idem est, ac apud nos (forfante) vnde aliquibus dicitur (Baronaccio di campo di fiore) & eadem vox apud Hispanos aliud significat, nempè virum, vnde dicunt (es Baron) idest vir est, pronunciatur enim sæpe, B, ad modum, V, & è contra.

Tertia diuisio vocis ad placitum significatiuæ est in complexam, & in incomplexam, incomplexa est, quæ vnica tantum dictione constat, vt Homo, &c. complexa verò est quæ pluribus constat dictionibus, vt Homo albus, &c.

Quarta Diuisio est in vocem primæ impositionis, & in vocem secundæ impositionis, vox primæ impositionis est, quæ à parte rei absq; operatione intellectus aliquid significat, quia ad aliquid significandum fuit imposita, vt hæc vox homo, &c. fuit imposita ad significandam naturam humanam, & sic absq; alio intellectus opere à parte rei naturam humanã significat. Vox verò secũdæ impositionis est quæ citra intellectum nil significat à parte rei, quia non fuit à primis impositoribus ad aliquid significandum alicui rei imposita, vt genus, species, differẽtia, &c. quæ tantum habent significare per intellectum, vt alibi clarius explicabo.

Quinta diuisio est in vocem particularem, & vniuersalem, particularis vox est, quæ vnicam tantum rem continet, & significat; vt hæc vox, Petrus, &c. Vniuersalis vero quæ plura continet sub se, & significat, vt hæc vox Homo, quæ sub se continet omnia indiuidua naturæ humanæ, &c.

Sexta diuisio vocis vniuersalis est in vniuersalem vniuocam, siuè Synonimam, Aequiuocam, siuè Homonimam, & Analogam, vniuoca est, quæ plura significat, & sub se continet, quibus conuenit non solum secundum se; idest secundum rationem vocis: sed etiam secundum id, quod conno-

tat,

tat, quod est dicere, conuenit illis, quæ sub se continet, & secundum nomen, & secundum rationem eandem, & eodem modo, vt hæc vox vniuersalis, Animal, significat hominem, leonem, &c. quibus conuenit non solum secundum nomen, siquidem, & homo animal dicitur, & leo etiam dicitur animal; Sed etiam secundum rationem essentiæ: quia essentia animalis, quæ est, esse sensibile, eodem modo conuenit homini, ac leoni. Vox æquiuoca dicitur illa, quæ plura significat sub eodem nomine: tamen sub ratione omninò diuersa, vt hæc vox, Canis, significat canem terrestrem, Sydus quodam cæleste, quod dicitur canis, & piscem marinum, qui etiam dicitur canis, idque tantum secundum hoc nomen, canis, nam ratio canis cælestis est omnino distincta à ratione terrestris, &c. Vox analoga illa dicitur, quæ plura significat sub eodem nomine; sub ratione tamen, non omnino diuersa, sed eadem secundum aliquam participationem, vel attributionem (vt suo loco clarius dicam) vt hoc nomen, sanum, dicitur, de homine sono principaliter; de vrina verò sana, & de medicina sana, per attributionem ad ipsum hominem sanum: quia scilicet vrina est signum, & medicina est causa sanitatis hominis.

Quinq; igitur Porphyrij Prædicabilia, dicuntur quinque voces, & nõ sũt nõ significatiuæ: quia aliquid significant, non naturaliter; sed ad placitum; non primæ impositionis, sed secundæ: non complexæ, sed incomplexæ, & simplices: non particulares, sed vniuersales: non æquiuocæ, neq; Analogæ: sed vniuocæ, vt ex infra dicendis patebit: sed clarius (Deo dante) in Magna logica nostra, vbi hæc omnia altiori sunt nobis dilucidanda stilo. Cumq; voces vniuersales sint, ipsum vniuersale habent pro obiecto adæquato, & totali: idest, hæ quinq; voces ordinantur ad explicandam totam naturam, & essentiam vniuersalis vocis, & quot modis aliqua vox possit esse vniuersalis.

Quod autem quinq; tantum sint vniuersales voces, & non plures neq; pauciores, ex eo colligi exactè potest: quia tot sunt voces vniuersales, & communes, quot sunt modi prædicandi vnius de altero vniuoca prædicatione: sed tantũ sunt quinq; modi prædicandi vnius de altero predicatione vniuoca: ergo tantum sunt quinq; voces vniuersales: mi. prob. Quicquid predicatur de altero, vel prædicatur secundum essentiã, vel secundum accidens: si secundũ essentiam, vel in quid, vel in quale. Si in quid, vel de pluribus specie differentibus, vel differentibus numero: si specie differentibus, erit genus; quia genus est, quod predicatur de pluribus specie differentibus in quid: si autem de pluribus differentibus numero, erit species; quia species est quæ sic predicatur in quid, nempè, de pluribus numero differentibus. Si autem in quale secundum essentiam, sic erit differentia, quæ prædicatur in quale quid; idest in quale essentialiter. Si verò secundum accidens, vel conuertibiliter, & sic est proprium: quia risibile v.g. conuertibiliter predicatur de Homine: nam bene dicimus, homo est risibilis: & risibile est homo: vel non conuertibiliter, & sic erit accidens commune, quod non conuertitur cum ipso homine in prædicatione: non enim dicimus homo est albus; album est homo: ergo tantum sunt quinq; modi prædicandi: & per consequens tantum sunt quinq; voces vniuersales.

PVNCTVM QVARTVM
De quinq; vocibus Predicabilibus Porphyrij.

NOstrum, dum de predicabilibus & predicamentis in hac parua logica agimus, institutum est; rudi quodam modo hæc omnia adumbrare, non proprijs coloribus, perfectisq; lineamentis exprimere; vt tyrunculorum mentes adaperiam ad exactam, seũ quasi exactam Diffinitionis notitiam: & sic breuissime

uissime intentum ipsius Porphy. & Arist. ea, qua potero facilitate proponam, Controuersias postea, ac debitas quæstiones excitaturus; quidque in rei veritate sensiendum de horum vniuersalium diffinitionibus à Porphyrio assignatis ostensurus in magna logica.

Itaque prima vox à magistro posita est Genus, quod variè sumi potest: primo pro multitudine aliquorum, qui ab vno principio dimanant, vel qui in aliqua vniformitate viuunt, vt genus Gallorum, Hispanorum, Romanorum, & genus Austriacum, &c. Secundo etiam potest dici genus illud principium, vnde aliqua multitudo dimanat, vt Hercules dicitur genus respectu prolis Herculeæ. Tertio dicitur genus illud, cui subijciuntur multæ species, vt animal est genus: quia animali subijciuntur species hominis, leonis, aquilæ, &c. & hoc modo sumitur genus à dialecticis.

Diffinit autem Porphy. Genus sic. Genus est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, in quæstione, qua quæritur, quid res sit. hæc diffinitio constat genere, & differentia: loco generis ponit magister particulam, quod, per quam intelligit, vniuersale, ita vt dicat: Genus est vniuersale ad plura specie differentia, &c. dicitur ergo vniuersale: quia omnes hæ quinq; uoces (ut diximus) sunt uniuersales, continent enim sub se plura: dicitur, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, ad differentiam speciei, quæ prædicatur de differentibus numero, non specie; dicitur in quæstione qua quæritur, quid res sit, ad differentiam ipsius differentiæ, quæ licet predicetur de pluribus differentibus specie: tamen predicatur in Quale; sicut etiam Proprium, & Accidens.

Genus est duplex, supremum, & intermedium. Supremum est, supra quod non datur aliud genus, ut sunt decem genera generalissima Aristotelis, scilicet, substantia, quantitas, &c. intermedium autem est, quod supra se habet aliquod aliud genus, ut animal, quod licet predicetur de suis

ſpeciebus ſcilicet de homine, leone,&c.& ut ſic ſit propriè genus: tamen quatenus ſubijcitur generibus ſuperioribus nempè ſubſtantiæ, corpori, & uiuenti, &c. non dicitur genus,ſed ſpecies propriè, & in rigore: quia tunc non prædicatur;quod eſt de eſſentia generis;ſed ſubijcitur,quod propriè ad ſpeciem pertinet,(ut diximus puncto præced.).

Et quia in diffinitione generis mentionem facit Porphy. de ſpecie: predicatur enim Genus de pluribus ſpeciebus &: ideo ſtatim ſubiungit tractatum de ſpecie,& ait: quòd ſpecies dupliciter poteſt ſumi, primo pro pulchritudine,& venuſt.te, vnde dici ſolet, ſpeciem Priami dignam eſſe imperio: ideſt pulchritudinē Priami.& pſ.44.habetur,ſpecie tua, &c. Secundo pro eo quod ſub ſe plura indiuidua continet, vel alicui generi ſubijcitur, vt Homo, ſub quo continentur omnia indiuidua naturę humanę,& ipſe ſubijcitur animali.

Pro quo nota, quod duplex eſt ſpecies,altera ſpecialiſſima : ideſt vltima,& eſt illa,quæ infra ſe non habet alias ſpecies: ſed tantum indiuidua, vt homo: altera ſubalterna , & eſt, quæ infra ſe habet alias ſpecies, de quibus non predicatur in quantum ſpecies,ſed in quantum genus:at verò quatenus reſpicit genera ſuperiora dicitur ſpecies: quia ſubijcitur illis, & hæc dicitur propriè ſpecies ſubijcibilis: illa verò prædicabilis: quia licet,dum reſpicit animal,dicatur ſubijci ſuo generi: tamen habet etiam ſua inferiora, de quibus poteſt, vt ſpecies, prædicari:at verò intermedia,in quantum ſpecies,taliter ſubijcibilis eſt, vt nullo modo,vt ſpecies poſſit eſſe predicabilis, quia ſi reſpiciat ſua inferiora, tunc predicabitur de illis,vt genus, non vt ſpecies , cum illa inferiora ſint ſpecies. Diffinit autem Porphy. ſpeciem ſpecialiſſimam ſic. Quæ predicatur de pluribus differentibus numero in quæſtione qua quæritur quid res ſit, vt quid eſt franciſcus? eſt homo, &c.

Et quia ait, ſpeciem predicari de indiuiduis, ideo in eodem cap.breuiter de indiuiduis tractat,aſſignatq; indiuidui diffi-

diffinitionem sic: Indiuiduum est quod de vno solo predicatur, vt Franciscus est Franciscus, &c. Item docet triplex esse indiuidum, nominatum, seù certum, vt franciscus, &c. signatū, seù demonstratiuum, quando per pronomina demonstratiua, Hic, iste, ille, significatur, vt hic homo, iste canis, ille leo, &c. & indiuiduum vagum: quando significatur per hos terminos, quidam, & aliquis, vt quidam homo, aliquis homo: dicitur vagum, quia nullam certam personam determinat.

In fine huius capitis addit Porphy. quod indiuiduum est pars subiectiua speciei: species verò pars subiectiua generis: & ideo dicitur indiuiduum contineri in specie in potentia, & species eodē modo in genere: at verò genus formaliter continetur & actu in specie, & species formaliter, & actu in indiniduo, sicut etiam genus etiam actu continetur in quolibet indiuiduo: tamen mediante specie, cum species immediatè contineatur in quolibet inferiori.

Et quia differentia est, quæ constituit speciem in esse specifico: rationale enim constituit hominem in esse hominis, ideo statim tractat de differentia illa, quæ dat alicui esse essentiale, diffinitq; eam sic: Differentia essentialis est illa, quæ predicatur de pluribus in predicatione, qua queritur qualis res sit secundum essentiam, & quidditatem: hoc enim significat, ly in quale quid; idest: in quale essentiale: quid, nàque dicit essentiam, vt qualis est homo secundum suam essentiam? est rationalis.

Duplex est officium essentialis differentiæ, diuidere genus, & constituere speciem: vt animal diuiditur per rationale, & irrationale: en quomodo differentia diuidit genus: constituit autem speciem: quia rationale constituit speciem Hominis: irrationale verò constituit speciem Bruti: & quia duplex est species, infima, & intermedia: duplex etiam erit differentia, alia infima, quæ constituit speciem infimam, vt rationalitas, quæ constituit hominem: alia intermedia quæ

con-

constituit speciem intermediam, vt sensibilitas, quæ constituit animal.

Postquam egit de his vocibus, quæ essentialiter prædicantur, incipit agere de his, quæ accidentaliter, & primo de Proprio, quod prædicatur cõuertibiliter, & necessario: post modum de Accidenti, quod contingenter, & in conuertibiliter dicitur de his, quibus accidit, sermonẽ instituit. Vnde proprium docet quatruplicem significationem habere: primo significat aliquid, quod conuenit alicui naturæ soli: nõ tamen omnibus indiuiduis illius naturæ, neq; semper: vt esse philosophũ, gramaticũ, quod tantum cõuenit hominibus: non autem omnibus hominibus, neq; semper: nã prius oportet addiscere philosofiã, vt postea philosofus dicaris.

Secundo significat aliquid quod conuenit omni, & soli: non tamen semper, vt canescere in senectute, effundere lachrimas in infantia: hæc enim conueniunt omnibus hominibus, & solis hominibus: non tamen semper: nam non semper senescunt, nec semper in infantia plorant.

Tertio significat id, quod conuenit omni naturæ, & semper: non tamen soli: vt esse bipedem conuenit omnibus hominibus, & semper: non tamen solis hominibus: nam etiam conuenit volatilibus.

Quarto significat id, quod conuenit omni, soli, & semper: vt risibilitas, quæ conuenit omnibus hominibus, solis hominibus, & semper, & proprium in hac vltima acceptione constituit hanc quartam vocem vniuersalem: quod sic potest diffiniri, proprium est quod predicatur de multis extra essentiam, depẽdenter tamen ab ea. Dicitur; prædicari de multis extra essentiam, vt distinguatur à tribus præcedentibus prædicabilibus, quæ prædicãtur essentialiter: dicitur dependenter ab ipsa essentia: quia risibilitas dimanat à rationalitate: ad differentiam accidentis, quod predicatur independenter ab ea.

Vltima vox est, Accidens, quod duplex est, aliud separabile

rabile a ſubiecto, vt ſedere, albedo, &c. aliud inſeparabile vt curuitas in naſu, cæcitas, &c. Accidens predicabile ſic poteſt diffiniri: quod de pluribus prædicatur extra eſſentiam, & independenter ab ea.

In fine capitis nota; quod quando Genus predicatur de ſuis inferioribus, dicit tantum partem materialem eſſentiæ: ſemper enim genus habet locum materiæ: quando verò prædicatur ſpecies, dicit totam eſſentiam: nam homo continet animalitatem, quæ eſt pars materialis, & rationalitatem, quæ eſt pars formalis eſſentiæ: Differentia etiam dicit partem formalem eſſentiæ: nam rationalitas eſt forma hominis: Proprium tandem, & Accidens prædicantur, vt qualitates, & accidentia eorum, de quibus dicuntur.

PVNCTVM QVINTVM
De ante predicamentis Ariſtotelis.



Ompleto iam tractatu de vocibus predicabilibus, quas diximus ad diffinitionẽ pertinere: aggredimur tractatum de predicamentis, quæ etiam ad hanc primam logicæ partem ſpectare docuimus ſupra: Diuidit autem ſuum libellum Ariſt. in tres partes, quarum prima eſt quædam introductio ad doctrinam decem prædicamentorum: hanc autem vocat ipſe, Ante prædicamenta: in ſecunda parte agit de ipſis decem generibus. In tertia verò, quam appellat, Poſt prædicamenta: ſubdit nonnulla, quæ ad completam predicamentorum doctrinam cognouit eſſe neceſſaria. Nos in preſenti puncto breuiter, ac facilè, ea quæ in prima parte proponit Ariſtoteles examinabimus.

Diuidit hanc partem in qũinq; capita, in quorum primo aſſignat diffinitiones Aequiuocorum, Vniuocorum, & Denominatorum. In ſecundo tractat de his, quæ vel ſunt in ſubiecto, vel de ſubiecto predicantur. In tertio & quarto

assignat tres regulas. In vltimo sufficientiam decem generum demonstrat.

Diffinit in primis Aequiuoca sic: Aequiuoca dicuntur, quorum nomen cõmune est:ratio verò substantiæ omnino diuersa : idest,ea,quæ conueniunt in solo aliquo nomine communi; eorum tamen differentiæ essentiales sunt diuersissime, dicuntur Aequiuoca, vt tetigimus in superioribus v.g.canis cælestis, terrestris, & marinus conueniunt in solo nomine canis: essentia tamen canis terrestris est diuersa ab essentia canis cælestis, & marini, & sic dicuntur Aequiuoca, seù potius æquiuocata : nam ipsum nomen canis dicitur nomen æquiuocum, quibus verò conuenit dicuntur æquiuocata.

Diffinit vniuoca sic: Vniuoca dicuntur, quorum,non solum nomen est commune: sed etiam ratio essentiæ:idest:ea, quæ conueniunt in aliquo nomine communi, & etiam in diffinitione essentiali ipsius nominis,sunt vniuoca, v.g. homo, & leo conueniunt in nomine animalis: quia homo est animal, & leo est animal: non solum autem in nomine: sed etiam indiffinitione animalis: nam diffinitio animalis conuenit tam homini, quam leoni: diffinitur enim animal sic: substantia corporea animata sensiens: homo autem,& leo etiam sunt substantiæ corporeæ animatæ sensientes: & sic dicuntur vniuoca,seù potius vniuocata:nam ipsum nomen animal dicitur nomen vniuocum.

Denominatiua tandem sic diffinit. Denominatiua dicuntur ea,quæ ab aliqua forma sibi inhærente sumunt denominationẽ, vt à logica logicus, à grammatica grammaticus.

In secundo cap. agit de his quæ sunt in subiecto, vel dicuntur de subiecto. Dici de subiecto, est superius affirmari in predicatione de suo inferiori,vel formã de eo, cuius est forma;vt Franciscus est homo: homo est predicatum,quod predicatur de subiecto, quod est Franciscus, qui ponitur

loco

loco subiecti in illa prædicatione, & homo est rationalis: ly rationalis, forma est hominis. Esse in subiecto nō est esse partem in aliquo composito, vt bracchium est in corpore; sed est inhærere tamquam forma: vt albedo est in Petro, nigredo in muro, &c.

Docet ergo Arist. quod rerum, quæ sunt; quædam prædicantur de subiecto, & non sunt in subiecto: quædam dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto; & quædam nec dicuntur de subiecto, nec sunt in subiecto, & tandem, quædam in subiecto sunt, & de subiecto nullo dicuntur. Hac diuisione voluit Arist. significare substantias vniuersales, & substantias particulares: Accidentia vniuersalia, & Accidentia particularia. Mens autem ipsius est, quod substantia vniuersalis, vt homo, animal, &c. prædicatur de subiecto: quia homo prædicatur de Francisco, & alijs indiuiduis, & non est in subiecto: quia non est accidens. Substantiæ particulares, vt Indiuidua, nec dicuntur de subiecto, nec sunt in subiecto: nam cum sint substantiæ nequeunt esse in subiecto: & cum sint particularia non prædicātur de alio. Accidentia vniuersalia vt albedo, nigredo, &c. sunt in subiecto: quia accedentia, & prædicantur de subiecto, quia vniuersalia sunt. Tandem accidentia particularia, vt hæc albedo, hæc nigredo sunt in subiecto: quia accidentia; non tamen dicuntur de subiecto, quia particularia sunt, & loquitur de prædicatione doctrinali: nam certum est, quòd prædicatione identica, accidens particulare bene potest de vno solo prædicari; vt Frāciscus est hoc album, tanquam de subiecto.

Prima Regia quam, Arist. in 3 cap. tradit hæc est. Quando superius affirmatur essentialiter de suo inferiori, quicquid affirmatur essentialiter de superiori, etiam affirmabitur essentialiter de inferiori v. g. quia animal essentialiter prædicatur de homine, ita quicquid conuenit animali essentialiter, etiam essentialiter, conueniet homini; cumque

animali conueniat essentialiter esse substantiam, &c. esse etiam substantiã, &c. essentialiter conueniet homini.

Secundam, & tertiam Regulam assignat in cap. 4. harum prima est; Diuersa genera, quæ sub diuersis prædicamentis collocantur, non habent easdem differentias specificas: vt animal, quod est genus de prædicamento substantiæ, non habet eandem differentiam specificam, quam habet scientia, quæ est genus de prædicamento qualitatis.

Vltima est: Quando vnum genus subordinatur alteri sub eodem prædicamento, habere potest eandem differentiam, quam habet illud, cui subordinatur, vt animal, & viuum: animal potest habere eandem differentiam viui; scilicet, vitalitatem. Dat rationem huius, quia superior differentia prædicatur de omnibus his, quæ sunt inferiora ipsi generi, cuius est differentia.

In vltimo capit. tradit sufficientiam prædicamentorum, dicens: quod vox simplex, vel significat substantiam, vt homo, vel quantum, vt bicubitum, tricubitum, &c. vel quale, vt album, nigrum. Vel relatum, vt Pater, filius: vel vbi, vt domi, vel quando, vt hodie, vel situm, vt sedere, stare, vel habere, vt vestitum esse, vel agere, vt vrere, vel pati, vt vri.

Sed antequam ingrediamur tractatum de ipsis generibus: nota, quod appellatur, hic liber ab Arist. de Cathegorijs. Cathegoria nil aliud est, quam dispositio quædam naturalis Generis Generalissimi cum omnibus suis inferioribus, dispositio id est ordo, vel ordinata collatio: dicitur naturalis: quia quæ collocantur in Cathegorijs, seruant eum ordinem, quem petit sua natura, scilicet, vt inferius collocetur sub suo superiori: dicitur Generis supræmi cum omnibus suis inferioribus: quia Cathegoria incipit à genere supræmo, tamquam à capite, & descendit vsque ad indiuidua.

Item nota; quod aliqua collocantur directe in Cathe-

gorijs

gorijs idest in recta serie, & linea ipsius: quædam indirectè idest ad latus ipsius: ea quæ ponuntur directè sunt omnia genera, species, & indiuidua, omnia tandem entia completa: a latere verò ponuntur, differentiæ essentiales illorum generum, & specierum, & etiam partes substantiæ, seù substantiæ incompletæ, vt anima, corpus, in quantum partes compositi substantialis, &c. Obiectum tandem huius libri, est ipsa cohordinatio prædicatorum essentialium.

PVNCTVM SEXTVM.

De Decem Prædicamentis, seu Cathegorijs Aristotelis.

PRimum Prædicamétum est Substantia: quod nomen dupliciter potest vsurpari, vel pro omni eò, quod non est accidens; qua ratione comprehendit tam perfectas, & totales substantias, vt sunt genera, species, & indiuidua, quam etiam imperfectas, & partiales: vt sunt differentiæ substantiales, & partes phisicæ compositi naturalis, siuè essentiales, vt anima, & corpus: siuè integrantes; vt brachium, pes, &c. vel secundo pro substantijs completis tantum, & perfectis, quo pacto constituit hoc primum prædicamentum substantiæ. Et vt sic duplex est: altera, quæ dicitur prima; altera verò quæ dicitur secunda: substantia prima est, quæ neq; in subiecto est, neq; de subiecto dicitur, vt sunt omnia indiuidua substantialia, vt Petrus Paulus, &c. secunda substantia est, quæ non est in subiecto: quia substantia est: dicitur tamen de subiecto, vt sunt genera, & species, vt animal, homo, corpus, leo, &c.

Sex assignat Aristot. proprietates substantiæ, prima est, quod non est in subiecto, scilicet inhæsiuè: & hæc proprietas communis est tam primæ, quam secundæ substantiæ. Secunda quod vniuocè prædicatur de suis inferioribus, & hæc conuenit tantum secundæ: quia tantum secunda prædicatur

dicatur de primis, cum sit vniuersalis. Tertia quod substantia, non habet aliquam aliam substantiam sibi contrariam; quæ communis est, & primæ, & secundæ substantiæ. Quarta quod prima substantia significat rem certam, & determinatam; scilicet naturam singularem. Secunda verò significat quale quid: idest formalem rei essentiam: cum enim pars formalis, præcipuè, essentiæ rei immitetur qualitatem: nam sicut à qualitate dicimur quales, vt ab albedine albi: ita à forma substantiali dicimur tales, vt ab humanitate homines: idcirco ait Arist. quod secunda substantia significat quale quid: idest significat rei essentiam. Secunda quod substantia, tam prima, quam secunda non suscipit magis, vel minus: idest maiorem, vel minorem perfectionem substantialem: quia vnus homo non dicitur perfectioris esse substantiæ, quam alter: bene tamen potest suscipere maiorem, vel minorem quantitatem, & hæc proprietas, vnà cum tertia conueniunt etiam quantitati. Sexta proprietas est, quod substantia prima est susceptiua contrariorum; scilicet accidentium: Franciscus enim modo est calidus, modo frigidus, &c.


Sed nota: quod inquit Arist. substantias primas esse magis substantias secundis: hoc autem est intelligendum, non ex eo quod sunt perfectiores substantiæ: sed cum substantia dicatur à sub stando, illa dicitur magis substantia, quæ magis substat: & cum indiuidua, quæ sunt primæ substantiæ substent tùm accidentibus, siquidem sunt subiecta inhæsionis ipsorum, tum etiam ipsis substantijs secundis, quarum primæ substantiæ sunt subiecta prædicationis, & etiam fundamenta, in quibus conseruãtur: nam in primis, tãquam in subiecto, & fundamento continentur secundæ: humanitas enim, & animalitas in ipsis indiuiduis reperiuntur, & conseruantur: ideo dicuntur indiuidua magis substantiæ: hinc etiam ait Arist. quod destructis primis substantijs; idest indiuiduis, impossibile est quicquid aliud remanere, cum

ipsa

ipsa sint fundamenta, tum secundarum substantiam, tùm etiam accidentium. Docet etiam species esse magis substantias, quam genera: quia species immediatius continentur in primis substantijs, quam genera: nam animalitas est in Francisco media humanitate.

Chategoria substantiæ sic disponenda est: Genus supremum, quod est substantia diuiditur immediatè per corporeum, & incorporeum: corporeum constituit corpus. Incorporeum constituit spiritum. Corpus deinde diuiditur per obnoxium corruptione, & liberum à corruptione; prima differentia constituit corruptibile: secunda verò incorruptibile. Curruptibile diuiditur per constans ex mixtione, & constituit mixtum: & per mixtione carens, & constituit simplex. Mixtum diuiditur per particeps vitæ, & constituit viuum; & expers vitæ, & constituit non viuum. Viuum diuiditur per particeps sensus, & constituit animal; & expers sensus, & constituit plantam. Animal diuiditur per rationale, & irrationale: rationale constituit hominem; irrationale, brutum. Rationale tandem in innumera diuiditur indiuidua, vt in sequenti figura.





SVB STANTIA
DIVISIVA
DIVIS:
CORPOREA
INCORPOREA
CONSTITVT
CORPVS
DIVIS:
DIVIS:
CONSTIT.
CORRVPTIBILE
DIVIS
DIVIS:
CVM MIXTIONE
SINE MIXT
CONSTIT.
MIXTVM
DIVIS
DIVIS:
CV VITA
EXPERS VITE
COSTIT.
VIVVM
DIVIS.
DIVIS:
SENSIENS
NO SĒ SIENS
COSTIT.
ANIMAL
DIVIS.
DIVIS
RATIONALE
IRRATIONALE
CŌSTIT.
HOMINEM
SVB HOMINE INDI
XPS
TANDĒ SVNT MARIA AVGVSTINVS

DE SECVNDA CATHEGORIA.



ECVNDA Cathegoria est de quantitate, seu quanto. Diffinit Arist. quantum sic, quod natum est habere partem extra partem; idest partes extensas, vel secundum longitudinem, vel secundum latitudinem, vel secundum profunditatem, vt quodlibet corpus dicitur esse quantum, quantitas autem, quæ denominat illud corpus quantum, potest etiam sic diffiniri: est accidens, quod extendit substantiam; faciens illam habere partes extra partes, idest vnam partem extra aliam.

Quantum est duplex continuum, & discretum: continuum est, cuius partes copulantur aliquo termino communi: Terminus cōmunis est illud indiuisibile, à quo incipit, & à quo clauditur ipsum quantum v.g. in linea, quæ est quantum quodam, terminus communis est punctum: quia à puncto incipit ex vna parte, & per punctum ex altera terminatur.

Quantum continuum diuiditur in lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum ab Aristotele: sed magna lis est inter recentiores: An tempus, & locus sint species quantitatis continuæ: hoc autem nos remittimus ad Maiorem Logicam, vbi Deo dante, quid tenēdum sit determinabimus. Discretæ verò quantitatis duæ sunt species, scilicet numerus, & oratio.

Iuxta tres illas primas species certas quantitatis continuæ assignat Philosophus tres terminos communes, primum lineæ, & est punctum: secundum superficiei, & est linea: tertium tandem corporis, & est superficies. Sed vt hæc intelligantur; nota, quod tripliciter potest mensurari aliquod quantum, vel secundum longitudinem, & hæc constituit lineam, quæ tantum est respectu longitudinis, & sic

diffinitur linea à mathematicis; est sola longitudo, cuius extrema sunt duo, puncta: vel secundo potest quantum mẽsurari secundum longitudinem, & latitudinem, & sic est superficies, quæ continet longitudinem, & latitudinem sine profunditate; & secundum latitudinem incipit ab vna linea, & terminatur ad alteram lineam. Vel tandem potest mensurari secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & sic est corpus cuius profunditas incipit ab vna superficie, & terminatur ad alteram superficiem.

Numerus, & oratio sunt species quantitatis discretæ: quia ternarius v. g. non terminatur puncto, nec linea, nec superficie. Sic etiam oratio; scilicet vocalis: nam de hac loquitur Arist. cum mẽsurabilis sit sillabis longis, & breuibus. Orationem autem hic tantum vocamus terminum, vel dictionem aliquam pluribus sillabis compositam, vt hoc nomen, Dominus, dicitur pro nunc oratio, & est species quantitatis discretæ: quia mensuratur, tùm illo tempore, quo durat eius prolatio: tum etiam ipsis sillabis, siuè longis, siuè breuibus: non copulatur termino communi: quia nec puncto, nec linea, nec superficie.

Tres sunt quantitatis proprietates, prima vt habeat contrarium: magnum enim contrariatur paruo: secunda quod non suscipiat magis, & minus per intensionem: bene tamen per extensionem, tertia vt à quantitate res dicantur æquales, vel inæquales.

DE TERTIA CATHEGORIA.


Ertia Cathegoria est de Relatis: Relatiua autem sic diffiniuntur: quorum tota essentia consistit in ordine ad aliud: vt Pater filij pater: Filius patris filius. Relatio sic diffinitur: est ordo, seù habitudo vnius ad aliud. Pater, & filius dicuntur relata: & Dominus & seruus, &c. relatio verò est ille respectus, quem

dicit

dicit Pater ad filium, & è contra, &c.

Duplex eſt relatio; realis, & rationis: Relatio realis eſt ordo inter extrema realia, vt ordo Patris ad filium, &c. relatio vero rationis eſt ordo inter extrema rationis, vt ordo, qui reperitur inter genus, & ſpeciem, quæ ſunt entia rationis.

Item duplex eſt relatio realis; mutua, & non mutua: relatio mutua eſt mutuus reſpectus ex parte vtriuſque extremi: vt ſicut Pater dicit ordinem, & reſpectum ad filium; ita filius ad patrem: *adinuicem* enim referuntur. Non mutua relatio eſt dependentia vnius tãtum extremi ab altero, & non vtriuſque: vt ſcientia realiter, & propriè dependet à ſcibili: quia ſcientia reſpicit neceſſariò ſcibile: at verò ſcibile non dependet realiter, & neceſſario à ſcientia: quia infinita ſunt ſcibilia, quorum non habetur ſcientia.

Quinque ſunt proprietates relatiuorum. Prima eſt, quod poſſunt habere contrarium, vt vitium contrariatur virtuti, quæ proprietas non conuenit omnibus relatiuis: nam vna albedo dicit relationem ſimilitudinis ad alteram: & tamen inter illas duas albedines non eſt contrarietas.

Secunda proprietas, quod poſſunt recipere magis, vel minus: vt vnum ſimile eſt magis ſimile, quam aliud: vnum æquale magis æquale quam aliud, quæ proprietas neq; conuenit omnibus: quia pater, & filius ſunt relata, & tamen vnus pater non eſt *magis* pater altero.

Tertia proprietas eſt, quod dicuntur ad conuertentiam, & hæc tantum conuenit relatis mutuis, vt pater filij pater; & filius patris filius: nam ea relata, quæ non mutua dicuntur, non ſunt ad conuertentiam; vt ſcientia alicuius ſcibilis ſcientia: non tamen è contra, ſcibile alicuius ſcientiæ ſcibile: nam multa ſunt ſcibilia, de quibus non habetur ſcientia.

Quarta proprietas eſt: quod relata ſunt ſimul natura; vt ſunt relata mutua: nam in eodem inſtanti, in quo quis di-

citur pater, necesse est, vt habeat filiū: aliàs non esset pater. At relata non mutua non sunt simul natura: scibile namq; prior est ipsa scientia: & sensibile prius sensu.

Quinta proprietas est, quod relata ita se habent, vt cognito vno cognoscatur & alterum, vt cognito patre cognoscitur filius: quia pater dicit essentialem relationem ad filium, & è contra. Neq; hæc proprietas conuenit omnibus: nā qui cognoscit scibile, nō ideo cognoscit scientiā. Et nota quod non est intelligenda hæc proprietas, itaut cognito aliquo patre, qui sit Franciscus v. g. necessum sit cognoscere etiam eius filium, nempè Carolum, qualis sit, &c. sed cognito, quod aliquis sit pater, quicumq; ille sit; necessum est statim deuenire in cognitionem, quod ille, in quantum pater est, filium aliquem habeat oportet: quia nemo pater dicitur, quin filium, vel filios habeat: & nemo filius dicitur, nisi præcise quatenus patrem habet: vnde mortuo patre Caroli: Carolus non amplius dicitur filius: quia patrem nō habet: & è contra; mortuo filio Antonij: hic amplius non dicitur pater: siquidem filium non habet.

DE QVARTA CATHEGORIA.

QVarta Cathegoria est de Qualitate, & Quali: Qualitas est accidens, quod denominat subiectum tale: vt albedo denominat parietem album. Quale verò illud est, quod à qualitate denominatur quale, vt album ab albedine.

Quatuor sunt Qualitatis species. Prima est habitus, & dispositio. Habitus est qualitas difficile mobilis; vt scientia, iustitia, &c. dispositio est qualitas facile mobilis, vt breuis ægritudo.

Secunda species est naturalis potentia, vel impotentia: naturalis potentia est virtus, seù aptitudo ad faciliter faciendum aliquid, vt potentia ad velociter, & expedite loquen-

quendum, intellectus, voluntas, &c. naturalis impotentia est ineptitudo quædam ad aliquid operandum; vt hebetudo ingenij; vel est id, secundum quod aliquis facile cedit contrarijs; vt mollities secundum quam quis facile sentit dolorem.

Tertia species est, passio, vel passibilis qualitas: ad quam speciem reducuntur omnes sensibiles qualitates; idest obiecta sensuum, quæ passiones, aut passibiles qualitates dicuntur: eo quod, vel passionem aliquam causant, vel ex passione aliqua fluunt: vt *dulcedo*, amaritudo, calor, &c. quæ si diù durant, dicuntur passibiles qualitates: at verò si citò transeunt, vt rubor ex verecundia, pallor ex timore, &c. passiones dicuntur.

Quarta species est forma, & figura, vt triangulus, & quatrangulus: rectum, & curuum, &c.

Tres sunt proprietates Qualitatis. Prima quod habet contrarium, vt calor contrariatur frigori, &c. quod non debet intelligi de qualitatibus medijs: rubedo namque non habet contrarium.

Secunda proprietas est, quod suscipit magis, & minus: nam vna albedo est magis albedo, quam alia, quæ proprietas non conuenit omni qualitati: vnus enim triangulus non est magis triangulus alio.

Tertia proprietas est, quod à qualitate dicimur similes, vel dissimiles: nam similitudo fundatur in qualitate, vt suo loco dicam.

DE QVINTA CATHEGORIA, & Sexta.

QVinto loco agit Arist. de Actione, & Passione. Actio est via ad terminum: Agere verò est aliquid producere: vt calefactio dicitur actio: quia est via ad calorem producendum. Calefacere est

agere: quia calorem producit.

Duplex est actio, transiens, & immanens: Actio transiens est via ad terminum, qui sit extra ipsum agens, vt calefactio, qua producitur calor extra ipsum ignem, scilicet in ligno. Actio immanens est actio, qua nil efficitur extra ipsum agens, sed ipsamet actio, vt terminata, est effectus sui ipsius in fieri: vt intellectio, quæ si consideretur, prout actu fit ab intellectu, dicitur actio: si autem consideretur, vt iam ab intellectu terminata, dicitur quid productum, quod à metaphisicis appellatur species expressa. Sic etiam Amor, visio, &c.

Passio verò nil aliud est, quam eadem met actio, quæ dimanat ab Agente, quæ quatenus subiectatur in passo, dicitur passio: quia per illam patitur subiectum: quatenus verò progreditur ab Agente, dicitur actio: quia per illam Agens operatur.

Duas enarrat Arist. proprietates Actionis, & Passionis; prima est, quod suscipiunt contrarium: Calefacere enim est contrarium ad Frigefacere, & Calefieri ad Frigefieri: quæ proprietas non conuenit omni actioni, & passioni: quia intelligere non habet contrarium, nec intelligi: videre, nec videri, &c.

Secunda proprietas est, quod suscipiunt magis, vel minus: nam vnus ignis magis calefacit, quam alius, & vna manus magis calefit, quam altera. Vnus intellectus magis intelligit alio, & vna conclusio est magis intellecta, quam alia, &c.

DE RELIQVIS CATHEGORIIS.

Reliqua quatuor genera breuissimè absoluit Arist. & primo docet, quod Quando, quod est septimum in ordine, nil aliud est, quam esse in tempore, vt hodie, cras. Vbi, octauum genus; nil aliud est, quam esse

esse in loco, vt Domi; in foro. Situs, nonum prædicamentum est, esse sic, vel sic in loco, vt sedere, stare, &c. & in hoc differt ab vbi: nam vbi est esse in loco quomodolibet: at situs denotat subiectum esse sic, vel sic in loco. Habitus tandem, vltima Cathegoria, est adiacentia corporum, & eorum quæ circa corpus sunt, vt vestitum esse, armatum esse. Vbi nota quod Habitus hic non sumitur pro ipsa veste, vel armis: sed pro habitione (vt sic dicam) vestium, & armorum: & sic dicuntur habitus non ea, quæ sunt circa corpus, sed adiacentia eorum, quæ sunt circa corpus, hæc omnia genera his versibus continentur.

subst. quant. relat. qualit. Act.
ARBOR, SEX, PVEROS, ARDORE, REFRIGERAT
pass.
VSTOS;
vbi Quando. situs Habitus.
RVRI, CRAS, STABO, NEC TVNICATVS,
ERO.

PVNCTVM SEPTIMVM.
De post Prædicamentis.

Quinque docet Philosophus in post Prædicamẽtis. Primo, quot sint genera oppositorum. Secundo, quot modis vnũ dicitur prius alio. Tertio, quot modis aliqua dicuntur esse simul. Quarto, doctrinam de motu. Quinto, de Habere.

In primis dicit; quatuor esse oppositorum genera. Relatiuum: vt oppositio, quæ reperitur inter correlatiua, vt inter patrem, & filium; dominum, & seruum. Contrarium vt oppositio, quæ reperitur inter duas qualitates contrarias; vt inter albedinem, & nigredinem: caliditatem, & frigiditatem, &c. Priuatiuum, vt est oppositio, quæ reperitur

ipsa manus. Mutatio est acquisitio diuersorum locorum, vt ambulare, currere, &c.

Docet etiam Arist. quod motui in communi contrariatur quies: at quilibet motus in particulari habet suum particulare contrarium: vt Generatio habet Corruptionem. Augmentatio habet Diminutionem. Calefactio frigefactionem, & Motus sursum habet pro contrario Motum deorsum.

Vltimo tractat de Habitu, & Habere. Et not. quod in præsenti; Habitus differt ab *Habitu*, qui est species qualitatis, & ab *habitu*, qui est vltimum prædicamentum: nam habitus, quatenus est qualitatis species, est qualitas quædã difficile mobilis à subiecto. Habitus, decimum genus generalissimum est adiacentia corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt. Ast habitus post prædicamentalis est his vniuersalior: nam continet sub se omnes modos aliquid habendi, vt habere vestem, habere scientiam, habere animum; dolium habere vinum; Infirmum febrem; Regem regnum; & *Regnum Regem*: Corpus caput, & bracchia; domum fundamenta: Homines legem, & Deum, merita, Gratiam, & Gloriam, ad quam nos perducat, qui sine fine viuit, & regnat, & hæc de prima parte Logicæ scilicet de prima operatione.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

PARVÆ LOGICÆ DE SECVNDA operatione intellectus; scilicet de Diuisione.



Absoluto tractatu de prima parte Logicæ, quæ ad dirigendam primam operationem intellectus ordinatur, quam sub Diffinitione, principaliori Logicæ instrumento diximus contineri; ad eam partem accedendum est, quæ secundū dirigit intellectus opus: & cum hæc Logicæ pars, secundum instrumentum, nempè diuisionem constituat, ideo in præsenti libro de Diuisione, eiusq; partibus est nobis differendum. Et nota, quod non loquimur de illa reali Diuisione, qua lignum v. g diuiditur in suas partes, vel corpus aliquod in sua membra &c. sed de Diuisione intellectuali, qua aliquid tantum per intellectum diuiditur, vt cum dicimus, substantiam diuidi in corporeā, & in incorpoream, triplicem esse operationem intellectus &c. De hac ergo quærimus.

PVNCTVM PRIMVM.
Quid, & Quotuplex sit Diuisio.

Hoc secundum Logicæ instrumentum nobis certè erit maxime vtile, præsertim ad inueniendam alicuius rei diffinitionem, vt docet Porphy. in Isagogæ initio, & Arist. etiā secundo post. text. 28. vnde sæpè ante diffinitioné aliquam eam præmittit, vt in tertio phys. ante diffinitionem motus, secundo de Anima ante ipsius animæ diffinitionem, & alibi. Et licet de diuisione in particulari,

ticulari, & propriè nihil habeamus ab Aristotele conscriptum: author tamen est *Diog. Laert.* in eius vita; editum ab eo fuisse opus de diffiniendi, diuidendique ratione, quod iniuria temporum interijt. Porrò de Diuisione, eiusque præceptis plurima habent, & antiqui multi Philosophi, & recentiores summulistæ; legite Fons. lib. 1. instit. & tol. lib. 1. cap. 6. & 7. nos etiam clarè, & breuiter de illa agentes in præsenti puncto, duo quærimus primum, quid nam illa sit? cui petitioni satisfaciendum est per eius diffinitionem: Secundum, Quotuplex sit Diuisio, cui satisfaciemus per Diuisionem illius.

Diffinitur ergo Diuisio sic: est oratio distribuens totum in suas partes. Dicitur oratio, vt excludatur à ratione Diuisionis mentalis diuisio realis, qua scilicet pannus diuiditur forbicibus, lignumque securi scinditur: debet enim esse oratio, vt substantia, vel est corporea, vel incorporea; & triplex est operatio intellectus. Ecce quomodo diuisio mentalis est oratio: poniturque hæc particula loco generis cum alijs etiam à Diuisione conueniat, vt Diffinitioni, & etiam Argumentationi. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ, quibus ipsa Diuisio differt, & à Diffinitione, quæ licet sit oratio, non tamen distribuit totum aliquod in partes, sed explicat diffiniti naturam, vt vidimus lib. 1. & etiam ab Argumentatione, quæ licet etiam oratio sit, non tamen habet hoc quod est distribuere totum in partes, vt lib. sequenti dicam; solius ergo Diuisionis est distribuere totum aliquod in suas partes.

Pro quo Not. quod omne quod diuiditur, dicitur totum respectu partium, in quas diuiditur. totum autem duplex est, potentiale, & actuale. Totum potentiale est id quod constat ex partibus, quas actu non habet, sed tantum in potentia, vt Animal dicitur totum respectu Hominis, Leonis, Canis, &c. quæ sunt partes potentiales Animalis: & Homo dicitur totum potentiale respectu Francisci, Pe-

tri, & aliorum indiuiduorum, quæ sub homine continentur. Quodlibet tandem Genus dicitur totum potentiale in ordine ad suas species; sic etiam quælibet species in ordine ad sua indiuidua.

Totum actuale est id, quod constat ex partibus, quas habet actualiter, vt domus respectu parietum, tecti, & fundamentorum, dicitur totum actuale: quia actu huiusmodi partes in se continet; sic etiam homo respectu Animæ, & corporis, ex quibus actu est compositus, dicitur totum actuale.

Et hoc totum actuale adhuc duplex est; Similare, siuè homogeneum, & dissilmilare, siuè, etherogeneum: totum similare est id, quod constat ex partibus, quæ sunt eiusdē nominis, & rationis cum ipso toto, vt Aqua, cuius, quælibet pars est aqua eiusdem rationis, & similitudinis cum ipso toto. Totum dissimilare est id, quod constat ex partibus dissimilibus, vt Domus habet parietes, qui non sunt domus, nec domui similes: habet fundamenta, quæ neq; domus sunt, &c. sic etiam corpus humanum, componitur ex bracchijs, capite, pedibus, &c. quæ secundum se non sunt corpus humanum.

Totum etiam potentiale triplex est, scilicet vniuocum, respectu suorum vniuocatorum, vt est quodlibet genus respectu suarum specierum, & quælibet species respectu suorum indiuiduorum. Secundum, est æquiuocum, respectu suorum æquiuocatorum, vt est hoc nomen, Canis, respectu canis cælestis, terrestris, & marini. Tertium est Analogum respectu suorum analogatorum, vt est ens respectu substantiæ, & Accidentis.

His notatis: diuiditur primo Diuisio in diuisionem nominis, & rei. Diuisio nominis est oratio distribuens vocem aliquam in sua significata, vt hoc nomen, Canis, habet triplex significatum: nam primo significat canem terrestrem: Secundo piscem quendam, qui dicitur Canis: Tertio significat

ficat sydus quodam cæleste, quod etiam ab Astrologis vocatur Canis, & hæc diuisio propriè dicitur, enumeratio (secundum Rodulfum Agricolam lib. 1. de Inuent. Dialect. c. 7.) enumerantur enim alicuius vocabuli significata, & ad hoc genus diuisionis arbitror reducendam esse Diuisionem, qua totum potentiale æquiuocum in sua æquiuocata diuiditur, quæ dicitur æquiuoci in æquiuocata, nil enim aliud est, quam diuisio vocis, seu nominis in ea, quibus conuenit.

Diuisio vero rei est *oratio* distribuens rem aliquam in suas partes, siue illæ sint actuales, siue potentiales: vt hominis altera pars est anima: altera corpus; & Animalium, alia species est Homo, alia Leo, &c.

Diuisio autem, qua totum actuale in suas partes actuales diuiditur est duplex: altera est diuisio totius actualis in suas partes essentiales, siue Fisicas; vt quando diuiditur homo in animam, & corpus, siue Metaphisicas, vt quando diuiditur in animalitatem, & rationalitatem, quæ sunt partes Metaphisicæ ipsius (vt diximus lib. 1. pun. 2.) Altera est diuisio totius actualis in suas partes integrantes, seu quantitatiuas, vt quando diuiditur corpus in caput, bracchia, pedes, &c. quæ dicuntur partes integrantes: quia sunt de integritate ipsius corporis: dicũtur etiam quantitatiuæ; quia potius pertinent ad quantitatem corporis, quam ad eius substantiam.

Item Diuisio totius, tam actualis, quam potentialis adhuc duplex est, per se, & per accidens. Diuisio per se est oratio distribuens totum aliquod in suas partes, quæ sunt per se partes talis totius, & ex quibus per se ipsum totum cõponitur, vt cum diuiditur Homo in animam, & corpus, vel in carnem, ossa, neruos, &c. vel genus in suas species, vel species in sua indiuidua, quæ omnia dicũtur esse partes per se sui totius. Totum per accidens est oratio distribuens totum aliquod in partes, quæ non per se, sed per accidens

illius partes sunt, vt cum quis distribuit homines in albos, & nigros, quæ diuisio dicitur Accidentalis.

Et est triplex: prima dicitur subiecti in accidentia: vt Hominum alius albus, alius niger, alius medio colore affectus: albedo, nigredo, reliquiq; colores sunt accidentia, quæ subiectantur in substantijs: ecce quomodo subiectum, nempè, Homo, diuiditur in accidentia, nempè in album, nigrum, &c. Ad hoc genus diuisionis reducenda est diuisio, qua subiectum aliquod in suas potentias diuiditur: vt Animæ rationalis tres sunt potentiæ, alia intellectus, alia memoria, alia voluntas: potentiæ enim sunt accidentia de prædicamento qualitatis, & anima est substantia, & subiectum harum trium potentiarum.

Secunda dicitur accidentis in subiecta, vt habentium intellectum, & voluntatem, vel est Angelus, vel homo, id quod diuiditur est accidens: intellectus namque, & voluntas accidentia sunt, diuiditur autem in Angelum, & Hominem, tamquam in substantia, & licet Deus minime quippe intellectu, & voluntate careat: tamen cum quicquid in Deo est sit ipse Deus, tam intellectus, quam voluntas ipsius ipsemet Deus est, & ipsamet substantia Dei: Nos autem in illa diuisione loquimur de eo intellectu, qui accidens est intelligentis, & potentia naturalis, qualis est intellectus Hominis, & Angeli.

Tertia dicitur Accidentis in accidentia, vt alborũ aliud dulce, aliud amarum, id quod diuiditur est accidẽs; nempè, album; partes, in quas diuiditur sunt etiam accidentia, nempè dulce, & amarum.

Tandem diuiditur Diuisio totius potentialis in diuisionem vniuoci in vniuocata, vt quomodo genus diuiditur in suas species, & dicitur diuisio generis in species, & quando species diuiditur in sua indiuidua, & dicitur diuisio speciei in indiuidua, in diuisionem æquiuoci in æquiuocata, quam diximus supra pertinere ad diuisionem nominis non

rei,

rei, & vltimò in diuisionem Analogi in sua analogata, vt quando diuiditur aliquod nomen analogum v. g. ens in ea quibus conuenit, scilicet in substantiam, & accidens.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quæ sint Optimæ Diuisionis potissimæ leges, & quot modis per Diuisionem argui potest.

CIrca præcepta bonæ Diuisionis multa solēt à scriptoribus assignari: quidam recentior ferè quatuordecim anumerat Diuisionis leges, & regulas: tamen breuitatis causa ad has reducendas curaui. Prima lex est, quod ad euitandam confusionem, Diuisio debet quoad fieri potest reduci ad paucissima membra: nam vt optimæ docet Tol. lib. 1. cap. 6. cum diuisio sit adinuenta ad manifestandam rem aliquam, si multa membra continet, potius *fastidium gignit*, & obscuritatem quam manifestam cognitionem, vnde si quis diuideret primo Animal in Hominem, Leonem, Aquilam, Canem, & in reliquas omnes animalis species non erit bona diuisio. Sed quādo aliquod totum multas continet partes, tunc primo diuidens debet procedere diuidendo per aliquas superiores: & has rursus debet per *alias inferiores* diuidere, vt in diuisione animalis, vel possumus procedere diuidendo per differentias ipsius diuisiuas, sic, Animalium aliud rationale, aliud irrationale, vel per species immediatas, vt animalium aliud Homo, aliud Brutum: & deinde subdiuidendo lij Brutum per alia membra immediatiora, nempe per aereum, aqueum, & terrestre, & sic deinceps, quousque ad vltimas diuisi partes deueniatur.

2 Secundum præceptum est, quod diuisum sit communius qualibet parte per se sumpta, quod præceptum valet

in diuisione totius potentialis in suas partes potentiales: semper enim totum potentiale, cum sit superius, est etiam vniuersalius suis partibus, vt patet in genere respectu suarum specierum, in specie respectu indiuiduorum, in analogis respectu analogatorum, & in æquiuocis respectu suorum æquiuocatorum: valet etiam in diuisione totius actualis in suas partes actuales phisicas siue essentiales, siue integrantes: anima enim per se, & corpus per se: siue caput, vel bracchium, &c. quodlibet eorum est minus commune ipso composito, quod omnia continet simul, at vero non videtur valere in diuisione totius actualis in suas partes actuales metaphisicas, vt quando diuiditur Homo in animalitatem, & rationalitatem: animalitas namque in plus se habet, quam homo, quia homini conuenit; & brutis: sic etiam rationalitas conuenit etiam Angelis; Cæterum propter illam philosophorum maximam, seu ipsius philosophiæ primum principium, omne totum maius est sua parte: supra quod videtur fundari hæc secunda lex: (licet hoc principium possemus intelligere de toto phisico, seu mathematico, non autem de toto metaphisico) possumus partes aliquas essentiales metaphisicas alicuius totius, dupliciter considerare, vel contractas ad costitutionem talis totius, & sic proculdubio quælibet illarum minus communis est suo toto: quando enim nos dicimus, homines metaphisicè diuidi in animalitatem, & rationalitatem; sumimus animalitatem, non quatenus præcisè animalitas est genericè; sed quatenus talis animalitas est, nempè hominis, sic etiam non sumimus rationalitatem, vt sic: sed contractam ad tale esse. Cæterum si huiusmodi partes considerentur abstractæ, sine aliqua determinatione, certum est esse communiores ipso homine, & vt sic non sunt partes ipsius.

Vel secundo possumus illas partes dupliciter considerare, vel quatenus actuales sunt, vel quatenus potentiales, quatenus actualiter sunt constituunt ipsum totum actuale,

& vt sic sunt minus communes, quatenus verò potentialiter considerantur, respiciunt ipsum hominem, non vt quid constitutum ab ipsis, sed vt quid inferius ipsis, & vt sic proculdubio vniuersaliores sunt ipso homine, & non dicuntur, vt sic, partes ipsius. In bona ergo Diuisione semper diuisum debet esse cõmunius, & maius qualibet parte per se sumpta. Vnde hæc esset mala diuisio, Animalium aliud rationale, aliud sensibile: quia animal non est communius sensibili, siquidem ad eadem inferiora se extēdit sensibile, ad quæ se extendit animal.

Tertium præceptum est, quod vna pars non debet sub alia contineri, vt in hac diuisione Animaliũ, aliud volatile, aliud irrationale; volatile enim sub irrationali continetur.

Sed dicet contra hanc legem, hæc diuisio ab omnibus admittitur, nimirum: triplex est bonum, vtile, delectabile, & honestum: & tamen hæc membra non sunt inter se distincta, siquidem eidem rei simul, & semel potest conuenire esse vtilem, honestam, & delectabilem, vt visio beata bonum est, honestum, vtile, & delectabile, ecce quomodo membra istius diuisionis ad inuicem continentur.

Respondeo, aliud esse ipsam bonitatem in abstracto explicatam; aliud ipsum bonum, seu rem bonam in concreto sumptam: verum quippe est, eandem rem posse habere triplicem illam bonitatem, & ita bonum in concreto posse continere omnia illa bona, honestum, vtile, & delectabile: At verò illa diuisio propriè non est boni in concreto sumpti in diuersas res bonas etiam in cõcreto acceptas: sed est diuisio bonitatis in abstracto in tres illas diuersas formas, & rationes bonitatis, etiam in abstracto sumptas, quare sensus illius diuisionis est: ratio bonitatis alia est honesta, alia vtilis, alia delectabilis, quæ rationes sic in abstracto sumptæ, distinctæ sunt ad inuicem, & vna alteram non includit.

Vltima lex est, quod partes in quas totum ipsum diuiditur

tar simul sumptæ debent æquiualere ipsi toto: itaut nil contineatur sub toto, quod sub eius partibus nō contineatur: nec aliquid sub aliqua parte contineatur, quod sub toto non sit, quare inepta esset hæc diuisio, Brutorum, aliud terrestre, aliud aquatile, aliud homo: tùm quia, hoc tertium membrum non continetur sub diuiso; tum etiam quia terrestre, & aquatile non æquiualent ipsi diuiso, cum sub Bruto sint etiam volatilia.

Loci argumentandi per diuisionē sunt ferè tres, primus est, valet argumētum à positione diuisi ad positionem alicuius partis diuidentis; & à positione partis diuidentis ad positionem diuisi, & e contra, à negatione diuisi ad negationem omnium partium, & à negatione omnium partium ad negationem diuisi exemplum, à negatione.

Lapis non est animal? ergo nec rationale, nec irrationale, non est rationalis, nec irrationalis? ergo neque animal exemplum, à positione.

Leo est animal? ergo vel rationale, vel irrationale, est rationale, vel irrationale: ergo est animal. Sed not. quod hic modus verificatur sic absolutè in diuisione totius potentialis, in diuisione autem totius actualis præsertim phisici non verificatur ex omni parte, & absolutè: nam ex positione partis non colligitur totum: non enim valet, est corpus? vel est anima? ergo homo, est paries? ergo Domus, bene tamen valet, à positione omnium partium simul ad positionem totius: vt est anima rationalis corpori vnita? ergo homo est, est fundamentum, simul cum parietibus, & tecto? ergo Domus est, à positione autem totius bene licet inferre partes: vt est homo? ergo anima, & corpore constans, est domus? ergo parietes fundamentum, & tectum, &c.

Secundus locus est: valet argumentum à positione totius, & negatione alterius partis, si bimembris sit diuisio, vel duarum, si trimembris, &c. ad positionem alterius: vt

est

est canis animal? & non rationale: ergo irrationale; hoc est elementum? & non ignis, neque aer, neque terra? ergo aqua est.

Tertius locus est; valet argumentum à positione vnius partis ad negationem cæterarum, vt est ignis? ergo non aer, neque aqua, neque terra.

Modi interrogandi, & respondendi de Diuisione sunt ferè ijdem, quos de Diffinitione lib. 1. diximus pun 2. nam percontanti, quænam sit hæc diuisio? respondendum est: vel vniuoci in vniuocata, vel æquiuoci in æquiuocata, vel Analogi in analogata, vel subiecti in accidentia, &c. percontanti verò qualis sit? respondendum est, quod sit bona, vel mala, qui plura de Diuisione desiderat, legat præsertim Fonsecã per totum lib. 4. Et quia diximus hoc secundum Logicæ instrumentum continere sub se terminos, nomina, verba, orationes, &c. ideo de illis opus est instituere sermonem Logico vtique per quam necessarium.

PVNCTVM TERTIVM.

Quid sit Terminus.

CErtè si Ethimologiam huius vocis, terminus, spectemus, nil aliud sonat, quam extremum alicuius rei; deriuatur enim à verbo, termino, as, vnde dicimus terminos possessionis, agri, ciuitatis, &c. Hinc Arist. docet, terminum, rei alicuius extremum esse, extra quod nihil est illius rei, at vero omnia eiusdem rei sunt intra illud: quo pacto puncta extrema lineæ: primum nempè, vnde incipit, & vltimum ad quod terminatur, appellantur termini linæe: terminant enim ipsam ex vtraque parte; ità vt, omnes partes ipsius contineantur intra limites illorum duorum extremorum punctorum, & nil illius reperiatur extra illa puncta. Logicus etiam appellat terminos extrema propositionum, cum enim propositio tribus

partibus constet, nempè, subiecto, quod primo loco ponitur, copula, quæ statim subsequitur, & tandem prædicato, quod est vltimum ipsius, vt in hac propositione: Homo est animal. Homo est subiectum; est, copula, animal prædicatum, extrema sunt prima pars, & vltima; nempè, subiectum, & prædicatum, & hæc Logicus vocat terminos. Itaque cum nos de terminis loquimur, intelligimus tantum terminos illos, qui ad Logicum pertinent.

Solet autem terminus Logicus multifariam à multis diffiniri, & primo ab aliquibus sic: terminus est vox significatiua ad placitum, ex qua simpliciter conficitur propositio. Quæ diffinitio non mihi videtur amplectenda: ratio est: quia bona diffinitio debet conuenire omni diffinito: hæc autem non competit omni termino Logico: cum enim terminus Logicus sit triplex (vt infra dicam) vocalis scilicet mentalis, & scriptus, esse vocem non competit termino mentali, neque scripto. Item illa est bona diffinitio, quæ non competit alijs à diffinito: sed ista non solum competit subiecto, & prædicato, quæ à Logicis vocantur propriè termini: sed etiam Copulæ, quæ non est terminus: siquidem non terminat propositionem. Sed potius mediat inter ipsos terminos, & vnit illos, & copulat, & ideo dicitur copula.

Secundo diffinitur à Paulo Veneto nostro sic. Terminus est signum orationis constitutiuum. Ab alijs verò sic: Terminus est signum ponibile in propositione, vt illius constitutiuum; quæ diffinitio eadem est cum illa Pauli Veneti. Neutra tamen placet propter secundam rationem factam contra superiorem diffinitionem: Logicus enim loquitur de termino in sua significatione rigorosa: quatenus terminat propositionem, & sic tantum subiectum, & prædicatum dicuntur propriè termini (vt bene ex mente Aristotelis notat Tolet. lib. 1. cap. x. vbi docet, apud Arist. alias voces, quæ in propositione sunt, præter subiectum, & prædicatum,

catum, non censeri propriè terminos) at verò, esse signum constitutiuum orationis, non solum competit subiecto, & prædicato: sed etiam Verbo, seu copulæ: est enim & ipsum verbum quoque signum, & cõstituit cum subiecto, & prædicato orationem; & tamen verbum non dicitur proprie terminus, sed vniens terminos, cum copulet, vniatque cum subiecto prædicatum.

Ob reuerentiam tamen nostro Paulo Veneto debitam, potest eius Diffinitio saluari, si dicamus ipsum non loqui de termino in sua rigorosa significatione; sed omne id quod ingredi propositionem aliquam potest, terminum vocat: potest enim in latiori hac acceptione quodlibet dici terminus. Vnde, & Aristot. ipse sæpè Diffinitionem terminum appellat, &c.

Optimam ergo termini Logici in rigorosa sua significatione sumpti ex Arist. ipso primo Priorum mutuabimus Diffinitionem: quæ autem erit; Extremum signum, in quod resoluitur propositio tamquam in subiectum, & prædicatum. Extremum signum ponitur loco generis, in quo terminus Logicus conuenit cum terminis vineæ, ciuitatis, &c. reliquæ particulæ habent locum differentiæ: dicuntur in quod resoluitur propositio, vt excludantur dicti ciuitatis, possessionisque cõ fines, qui propositioni Logicæ minime deseruiunt, dicitur, tamquam in subiectum, & prædicatũ, ad excludendam copulam propositionis; quæ nequit dici terminus, cum nec subiectum sit, nec prædicatum, & etiam ad excludendas quasdam voces, quæ solent poni ante subiectum, vel post prædicatum ad modificandos dictos terminos, quæ licet videantur esse extrema: non tamen in illa resoluitur propositio, tamquam in subiectum, & prædicatum, vt si dicerem: aliquis homo est animal quodam: ly aliquis, & ly quodam videntur esse extrema huius propositionis: tamen, quia non sunt per se subiectum, & prædicatũ illius, ideo non dicuntur termini, propriè, & rigorosè.

Et quia diximus terminum esse signum, opus est scire, quid sit aliquid esse signum, & quotuplex signum sit, & quo pacto terminus dicatur signum. Vnde not. quod significare nil aliud est, quam potentiæ cognoscitiuæ si aliquid repræsentare. Quare, cum omne, quod aliquid repræsentat sit signum rei, quæ repræsentatur, fit, vt quicquid rem aliquam significat, sit signum eius.

Diuiditur autem primo signum in signum formale, & in signum instrumentale. Signum formale est similitudo, seu species quædam rei significatæ in potentia cognoscente designata, qua res significata percipitur cuiusmodi est similitudo illa, quam mons obiectus imprimit in oculis: ac etiã ea, quam amicus absens relinquit in memoria amici: Item ea, qua quis de re, quam numquam vidit effingit. Hæc autem dicuntur signa formalia, quia formant, & quasi figurant potentiam cognoscentem.

Signa verò instrumentalia sunt ea, quæ potentijs cognoscentibus obiecta ducunt in cognitionem alterius rei, cuiusmodi est vestigium animalis in puluere impressum: fumus; statua, & huiusmodi: nam vestigium signum est animalis, à quo impressum est: fumus verò signum est ignis latentis: statua denique signum est Cæsaris, vel alicuius alterius. Porrò hæc dicuntur signa instrumentalia: vel quia his, quasi instrumentis conceptus nostros alijs significamus: vel quia, sicut ad hoc, vt artifex instrumento moueat materiam, necesse est, vt moueat instrumentum: sic potentiæ cognoscitiuæ, vt rem aliquam cognoscant hoc signorum genere, necesse est, vt hæc signa percipiant: quarè ab Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana, & lib. de principijs Dial. sic instrumentale signum diffinitur, quod præter speciem sui ipsius, quam adingerit sensibus, aliquid aliud a se facit in cognitionem venire, vt ramus ante tabernam præter speciem rami, quam potentiæ visiuæ repræsentat, facit venire in cognitionem aliquid aliud: nimirum,

quod

quod ibi vendatur vinum.

Hæc autem instrumentalia signa rursus diuiduntur in signa naturalia, & ex instituto. Signa naturalia sunt, quę apud omnes nationes idem significant: vel sunt ea, quæ suaptè natura vim habent significãdi aliquid, vt fumus signum naturale est ignis latentis. Huiusmodi sunt etiam animalium naturales voces, vt gemitus signum naturale doloris est: risus verò lætitiæ, &c. dicuntur naturalia signa: quia non ex hominum placito, sed suaptè natura habent id significare.

Signa autem instrumentalia ex instituto, ea sunt, quæ ex hominum voluntate significant, vt ramus ante tabernã est signum instrumentale ex instituto: non autem naturale vini vendibilis, &c.

His adnotatis, oportet præmittere cõmunissimam illam, præcipuamq; termimi diuisionem in mentalem, vocalẽ & scriptum. Terminus mentalis signum est propositionis extremum mente conceptum, vt cum concipio hominem, vt subiectum, vel prædicatum in aliqua propositione, quam mente conficio. Terminus vocalis est etiam propositionis signum extremum voce prolatum, vt vox homo, vel animal: terminus scriptus signum vltimum propositionis est alicubi scriptum, vt homo, animal in hac pagella.

Dico ergo terminum mentalem esse signum formale; seu formaliter significare: terminum verò vocalem, & scriptum esse signa instrumentalia. Ratio est quia terminus cõceptus mente est similitudo quædam rei significatæ consignata in intellectu, quam necesse est cognoscere, vt ipsius interuentu res significata cognoscatur. terminus autem vocalis & scriptus sunt signa externa, quæ nisi objiciantur potentijs cognoscentibus, neminem ducunt in cognitionem rerum significatarum.

Addo terminos mentales esse signa naturalia rerũ, quas significant; vocales verò, & scriptos quibus colloquimur, & quibus cum absentibus communicamus esse signa ex instituto:

ſtituto: quia inquit Ariſt. 1. perhi. cap. 1. conceptus idem ſuaptè natura apud omnes ſignificare; voces verò, & ſcripta non ſic vt patet.

Addo tandem, terminos mentales ſignificare res immediatè, ideſt nullo alio interpoſito ſigno: terminos verò vocales interuenientibus rerum conceptibus, quorũ ſunt proxima ſigna & notæ, vt docet Ariſt. loco citato; ſcripta autẽ non ſolum medijs rerum conceptibus, verum etiam medijs vocibus: quia ſcripta obijciunt menti voces; vox enim eſt quæ immediatè menti obijcitur: nam multi legendo exprimunt quidem voces ſignificatas per ſcripta: nullum tamen formantes conceptum rerum ſignificatarũ; vt patet in paruulis & alijs, qui legunt litteras latinas, & tamen non intelligunt eas. optime ergo explicatum reſtat quomodo terminus ſit ſignum, &c.

Sed cõtra hanc diffinitionem termini ſic expoſitam poſſet aliquis arguere primo. Hæc vox, Biltiris, ex ſe nihil certe ſignificat, & tamen poteſt eſſe ſubiectum in aliqua propoſitione, & ex conſequenti terminus: ergo non eſt neceſſe, quod terminus ſit ſignum. probo antecedens: nam iſta propoſitio optima eſt: Biltiris eſt vox; in qua Biltiris eſt ſubiectum, & vox prædicatum: ſed tam ſubiectum, quam prædicatum ſunt termini: ergo Biltiris, ſine eo quod ſit ſignũ, eſt terminus.

Reſpondeo cum Ioanne Arboreo in ſua introd. cap. 7. Tartareto in ſummul. Petro Hiſpano in definit. vocis ar. 3. & Fonſ. lib. 1. inſtitut. cap. 16. illam vocem Biltiris, & alias huiuſmodi eſſe in ſimilibus propoſitionibus terminos, ſed non ſumptas formaliter, verũ materialiter: quatenus ſcilicet ſoni illi Biltiris, Biſ, Buf, &c. in propoſitionibus ponuntur loco ſignificatiuarum, quæ voces ſignificatiuæ ſunt termini formaliter contenti ſub illis non ſignificatiuis. quod eſt dicere, ſubiectum in propoſita propoſitione non eſſe vocem illam non ſignificatiuam: ſed aliam ſignificatiuam, quæ ſub

illa

illa intelligitur: cum enim dico Biltiris, vt sic, vox hæc nil significat: ast cũ dico Biltiris est vox: sumitur Biltiris quatenus sonus ast ex ore animalis prolatus: vnde idem est dicere, Biltiris est vox: ac dicere; hic sonus; nempè, Biltiris, prolatus ex ore animalis est vox: ecce quomodo significat.

Arguet secundo aliquis cõtra eandem diffinitionem. diximus verbum non posse esse terminum: contra: potest esse extremum signum propositionis, scilicet subiectũ, vel prædicatum: vt in hac propositione: Homo est: vbi Homo est subiectum: est verò videtur esse prædicatum: quia est alterum propositionis extremum: ergo verbum potest esse terminus.

Respondeo, omnem propositionem debere constare ex tribus, scilicet subiecto, copula, & prædicato (vt infra dicam) quando autem in aliqua propositione non reperitur explicitè prædicatum, aduertendum est, quod latet & implicitè cõtinetur in verbo, & sic resoluendum est ipsum verbum per suum participium, quod participium erit prædicatum illius propositionis: vt, Petrus amat; Petrus est amans; ecce quomodo in verbo, amat, erat inclusum prædicatum. Et sic in proposita propositione, Homo est: in verbo, est, latet prædicatum: quare resoluendum est per suum participium sic: Homo est ens, vel existens. & aduertite, quod verbũ optimæ propositionis semper debet esse, sum, es, est. vel ad minus debet propositio resolui per sum, es, est: quia huiusmodi verbum est propriè prædicatiuum, cum copulet necessario vinculo extrema propositionis inter se.

Dices: in hac propositione Homo amat Deum: erit nè, Deum, extremum illius? quia videtur ibi obtinere locum prædicati. Respondeo, quod extrema propositionis explicantur in recto, & non in obliquo: quia copulantur verbo poscente duplex nominatiuum, alterum à parte ante, quod est subiectum; alterum à parte post, quod est prædicatum.

vnde

vnde obliquus casus non potest esse extremum propositionis, qualiter est particula, Deum, præterquam quod prædicatum debet poni immediate post copulam in bona propositione: ly Deum, autem non ponitur immediatè post copulam: quia si resoluas illam propositionem per copulam, & participium suum sic: Homo est amans Deum, vel Dei: iam participium amans erit prædicatum: ly Deum autem superflue se habet ad partes illius propositionis, quatenus propositio logicalis est.

Iterum dices: in hac propositione: sum est verbum: ly sum, iam ponitur pro subiecto: ergo bene potest esse terminus. Respondeo (quicquid alij satis confusè dicant) quod ly sum, es, est: potest dupliciter considerari, nempè, formaliter, quatenus scilicet præcisè verbum est copulatiuum: vel materialiter, quatenus scilicet vox quædam est ore prolata, vel cōceptus mente efformatus, vel nota alicubi scripta. ad rationem formalem ipsius, & etiam cuiuslibet alterius verbi, spectat habere suos casus, quibus regitur: vt ad sum, es, est, pertinent duo nominatiua: ad amo, as, nominatiuū agens, & accusatiuum patiens, &c. & sic nullum verbum potest esse subiectum, vel prædicatum in aliqua propositione logicali, formaliter sumptum: quia si est subiectum, vel prædicatum, potius est casus verbi, quam verbum, vt in assignata propositione patet: ibi enim, sum, stat loco nominatiui primi, quod exigit copula est: bene tamen materialiter sumptum quodlibet verbū potest esse terminus; quia quodlibet verbum potest declinari per suos casus, eodem modo, quo nomen ipsum: tamen materialiter sumptum, vt hoc sum, huius sum, huic sum, &c. & sic sumitur in prædicta propositione, scilicet materialiter, non formaliter.

PVN-

PVNCTVM QVARTVM.

Quotuplex sit Terminus.

NON multæ restant terminorũ diuisiones enumerandæ, si quidem præsupposita primo Diuisione illa in mentalem, vocalem, & scriptum, quasdam etiam alias habes lib. 1. pun. 3. multæ namq; vocis diuisiones, quas ibi assignauimus termino competunt: præsertim tertia, qua diuisimus vocem in complexam, & in incomplexam. quarta in vocem primæ impositionis, & secundæ impositionis. quinta in particularem, & vniuersalem; & sexta in vniuocam, æquiuocã, & Analogam. Aliqui putant etiam primam vocis diuisionem, nempè in significatiuam, & non significatiuam, terminis conuenire, & falluntur quidem; si quidem, si de ratione termini est, quod sit extremũ signum, & ex consequenti, quod significet, quomodo diuidẽdus est terminus in non significatiuum? & miror vtiq; doctissimos summulistas, quorum ego scriptorum vltimus, nec dignus sum sectari vestigia, ab eorumque libellis excutere puluerem, diffiniunt terminum, vel per vocem significatiuam; vel per signum orationis constitutiuum, & statim postea, quasi ipsius diffinitionis obliti, subdunt diuisionem hanc termini in significatiuum, & non significatiuum. Deum immortalem, si diffiniendo terminum in communi ais, esse vocem significatiuam; cur dari fateris postea sub hoc communi termino, terminum, qui quidem vox significatiua non sit? ergo illa diffinitio non conuenit omni contento sub diffinito: quod non concedes vtique; neque enim est tibi concedendum: nullo ergo pacto huiusmodi diuisio competit terminis;

Præmissis ergo superioribus termini diuisionibus, potest etiam terminus diuidi primo in Cathegorematicum, & Sincathegorematicum. Cathegorematicus id signum est, quod

se solo potest esse integrum propositionis subiectum, vt ly Homo, ly Animal, & idem est ac per se significatiuus. Sincathegorematicus est ille, qui nequit se solo esse integrum propositionis extremum, nisi alicui Cathegorematico adiungatur: vt omnis, nullus, non, &c. quarè dicitur terminus habens officium: nam si est vniuersalis, habet officiū distribuēdi vniuersaliter, vt omnis homo, &c. si particularis, particulariter, vt aliquis leo, &c. ex quo intelliges, quam falsò aliqui affirment, voces non significatiuas, quales sunt, Bif, Buf, Bulttris, &c. posse etiam dici terminos syncathegorematicos: hoc inquam falsum est, cū de ratione termini syncathegorematici sit habere officium in propositione, voces autem illæ non significatiuæ, etiam significatiuis adiunctæ nullum habent officiū in propositione, vt si dicas, bif homo est animal, &c. Aduertite etiam circa hos terminos syncathegorematicos, quod licet ex se nihil significent, idest solitariè sumpti, vnde aliquis posset inferre, eos non esse terminos: tamen possunt simul cum alijs significare: vnde dicuntur etiam ab aliquibus consignificatiui: ad rationē autē termini sufficit, quod aliquo modo habeat significare, idest siuè solitariè sumatur, siuè cum alio.

Ad hoc genus terminorum reducendos arbitror cum Fonseca omnes casus obliquos, & quamcumq; aliam vocem exigentem, vt coniugatur cum cathegorematico, vt sensum aliquem certū efficiat. vt in hac propositione, Homo est particeps rationis: ly, rationis, ad sincathegorem. spectat, &c. sic et ā præpositiones, vt A, vel Abs, de, per, &c. quæ habent in propositione officium. Ad hoc etiam genus reuocantur illi termini, ab aliquibus appellati mixti, qui cōflantur ex cathegorem. & sincathegorem. idest qui continent implicite cathegorem. vt nemo, qui idem est ac nullus homo. nihil, quod idem est, ac, nullum ens: & numquā, quod idem est, ac nullo tempore, &c.

Secundo diuiditur terminus in concretū & abstractum.

terminus abstractus est is, qui vim habet, aliquid denominandi; vt scientia, musica, &c. à quibus denominatur Aristoteles scientificus idest habens scientiam,& Orpheus musicus idest habens musicam, &c. Concretus est ille, qui ab aliqua forma denominatur talis, cum qua vnum constituit, vt Doctus, Musicus, Logicus,&c. vnde si resoluantur concreti, principaliter, & per se dicunt substantiã; in obliquo verò formas: vt quid est logicum? est habens logicam. quid album? habens albedinem, &c.

Sed dices: dantur quædam abstracta, quæ non significant solam formam: sed etiam subiectum: vt simitas significat curuitatem nasi; quare nõ solum dicit formam ipsam, sed etiam ipsum subiectum. Respondeo, etiam si includat simitas subiectum, esse tamen terminum abstractum: quia significat per modũ simplicis formæ, vim habentis aliquid denominandi: subiectum autem connotat in obliquo: vnde si resoluatur in recto, ponitur curuitas, vt forma: in obliquo verò ponitur subiectũ: vt simitas est curuitas nasi; & ab ipsa denominatur nasus simus.

Tertio diuiditur terminus, in connotatiuum, & absolutum: Connotatiuus terminus est, qui aliquid significat per modum alteri adiacentis. vt sunt omnia accidentalia entia; vt album, nigrum, pulcrum, turpe, &c. & etiam substantiæ completæ denominatæ à formis substantialibus, quæ licet qualitates accidentales non sint. tamen se habent ad modũ qualitatiuæ formæ, vt substantiale, corporeum, Animatum, Humanũ, Rationale, &c. Terminus absolutus est, qui significat per modum per se stantis, vt albedo, Homo, Petrus, substantia, &c.

Pro qua diuisione est primo not. quod Adiacere (vt bene notat Pater Tol. lib. 1. cap. 13.) propriè conuenit rebus illis, quæ alteri insunt, & non sunt partes, nec ad ipsius pertinent naturam, vt vestis, & quodlibet accidens: vnde Arist. (vt vidimus in fine lib. 1.) in vlt. Catheg. hoc tribuit Habitui,

dicens Habitum esse adiacentiā corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt: at verò quia omnis forma substantialis videtur esse in suo supposito substantiali ad modum formæ accidentalis: vnde Arist. cap. de substantia asserit significare quale quid; idest, substantiā ad modum qualitatis, quod etiam cap. de Diff. docuit Porph. nempè, differentiā essentialem prædicari in quale quid: ideo in diffinitione termini connotatiui dicimus, quod de ratione ipsius est significare formam per modum alteri adiacentis; non formam adiacentem præcisè: quia vt sic tantū ens accidentale, vt album, nigrum, &c. diceretur terminus connotatiuus: quia tātum forma accidentalis, vel forma, quæ per accidens se habet propriè, & in rigore dicitur alteri adiacere: sed dicēdo, terminum connotatiuum esse eum, qui formā significat per modum alteri adiacentis. sensus est siuè talis forma propriè inhęreat, & adiaceat, qualis est accidens: siuè se habeat per modum inhærentis, & adiacentis, vt est forma substantialis.

Sic etiam in diffinitione termini absoluti, dicimus: quod significat aliquid per modum per se stantis. per se stare proprium est substantiæ primæ in rigore loquendo, nempè individui, quod per se subsistit, sine eo quod aliquo alio indigeat substētaculo, vt Petrus, Paulus, &c. sic docet Arist. cap. de substantia: at nos nō dicimus terminum absolutum esse eum, qui per se subsistit, vel per se stat: sed qui se habet ad modum per se stantis: vt omnia abstracta, etiam accidentia, cum se habeant ad modum per se stantis dicuntur termini absoluti: vt albedo, logica, musica, risibilitas, &c.

Secundo not. est, nō esse eandem hanc diuisionem cum præcedenti: nec enim idem est concretum, & connotatiuū: nam Homo terminus concretus est, non tamen est terminus connotatiuus: sed potius absolutus, cum significet per modum per se stantis. id verum est, quod omne connotatiuū, concretum est, & non è contra; corporeum quippè connotatiuus terminus est, & etiam cōcretus. corpus autem con-

cretus

cretus terminus est, non connotatiuus. Et d. Th. p.p.q. 39. docet, omnia nomina substantiarũ esse concreta, vt Petrus, Franciscus, Animal, &c. non tamen esse connotatiua. vnde terminus connotatiuus significat principaliter formã connotando subiectum, quatenus connotatiuus terminus est, vt rationale, significat rationalitatem esse in Petro, Francisco, &c. è contra cõcretus terminus: nam vt diximus, quatenus concretus est, primo dicit subiectũ postmodũ formã.

Sic etiam dicimus; non esse eundem terminum absolutum & abstractum: nam Franciscus, Homo, Animal, &c. termini sunt absoluti, non tamen abstracti; sed potius concreti; bene verum est, quod omnis terminus abstractus sit etiam absolutus, & nõ è contra. Albedo enim, rationalitas, musica, logica, &c. termini sunt abstracti, & etiam absoluti: quia se habent per modum per se stantis.

Dices: vestis, & cæcitas significant formam, aut actu inhærẽtem, aut saltem natura sua aptam inhærere: ergo sunt nomina connotatiua. Respondeo in termino connotatiuo necessariũ esse, vt significetur actu modus inhærentis: aliter enim denotat subiectum ly vestis, & aliter ly vestitum: ly cæcitas, & ly cæcus. quare hæc sunt connotatiua, illa verò sunt signa absoluta.

Quarto diuiditur terminus in medium, & vltimum. terminus medius est, in quo non sistit perfecta cognitio; vel qui ducit nos ad cognitionẽ termini vltimi. vnde solet etiã appellari terminus nõ vltimatus. terminus vltimus seu vltimatus est ille, in quo sistit perfecta cognitio.

Pro qua diuisione not. quod cum audimus voces, vel legimus aliquam scripturam significatiuã: duo in nobis conconceptus generantur: alter ipsius vocis, seù scripturæ, qui conceptus generari etiam potest in homine ignaro, & nesciente significationẽ illius vocis, seù scripturæ: alter conceptus est rei significatæ per talem vocem, vel scripturam: qui tamen non gignitur in homine ignaro, & nesciente vocis,

cis, scripturisuè significationem. prior conceptus appellatur conceptus medius, sęù non vltimatus, siquidem perfecta cognitio nô sistit in illo, sed vlterius progreditur ad cognoscendam rem significatam: posterior verò dicitur conceptus, sęù terminus vltimatus; cū in illo sistat perfecta cognitio. Dixi, in illo sistere perfectam cognitionem, & non in cōceptu medio: nam si de imperfecta cognitione sit sermo, qualis est cognitio nesciētis vocabuli significationem; proculdubio illa sistet in non vltimato conceptu. Hæc autē diuisio competit tantum termino mentali.

Quinto diuiditur terminus in cōmunem, & singularem. terminus communis est qui multa significat sub vnico conceptu cōmuni multis; vt Homo, qui significat omnia indiuidua naturæ humanæ. sic etiam Animal, &c. terminus singularis est qui natura sua de se solo aptus est prædicari, vt Petrus, Franciscus, &c. sed aduertite, quod huiusmodi nomina aliqua ratione possunt dici communia, quatenus scilicet pluribus indiuiduis conueniunt habentibus idem nomen, vt v. g. mille homines appellantur hoc nomine Franciscus, ly Franciscus prædicabitur de omnibus illis: at verò hanc prædicationem arbitror esse æquiuoci in æquiuocata, & sic nomen aliquod singulare bene potest esse terminus communis æquiuocus.

Sexto diuiditur terminus singularis in terminum singularem determinatum, Collectiuum, vagum, & ex suppositione. terminus singularis determinatus est ille, qui vnam rem eamq; determinatē significat, vt sunt nomina propria indiuiduorum, Petrus, Paulus, &c. Collectiuus est ille qui significat vnum ex pluribus conflatum, vt exercitus, Neapolis, Venusium, &c. Vagus est ille, qui vnum quidem, sed indeterminatè significat, vt quidam Homo, &c. ex suppositione, siuè ex circum locutione, est qui vnū significat non simpliciter, sed ex suppositione, vt Nicomachi filius, significat Aristotelem, supposito quod Nicomachus nullum alium

filium

filium habuerit præter Aristotelem.

Septimo diuiditur terminus in trascendentalem, & non transcendentalem. terminus trascendens, seù trascendentalis ille est, qui pluribus rebus diuersi generis generalissimi conuenit, & trascendit plura prædicaměta, imbibiturq; in conceptu essentiali omnıū rerum. huiusmodi autem sunt sex: videlicet Res, Ens, Vnum, Bonum, Aliquid, & Verum. Non trascendens verò terminus est, qui non transgreditur limites vnius prædicaměti, vt Homo, Iustitia, Albedo, &c.

Octauo diuiditur in terminum priuatiuum, & positiuū: priuatiuus est, qui dicit carentiā alicuius formæ in subiecto apto nato habere illam, vt quando homo, vel canis, &c. dicitur cæcus, cum sit aptus natus videre lumen. Positiuus est ille, qui denotat formam esse in subiecto, cui potest aduenire priuatio illius, vt cum dicitur homo videns, qui visu potest priuari, &c.

Vltimo diuiditur in finitum, & in infinitū. terminus finitus est ille, qui rem aliquā determinatè significat: seù vnam tantum rem determinatè, vt Homo, Animal: & Deus etiam licet infinitus ipse sit, tamen hoc nomine Deus, nil aliud præter ipsum significatur. Terminus verò infinitus est, qui nil determinatè significat, & sic sunt omnes termini finiti, si illis præponatur particula negatiua, non, vt non homo, non lapis, &c. qui termini possunt infinita significare: nam qui dicit, non homo, potest omne aliud, quod homo non sit intelligere. idque prouenit ex negatione, quæ est tantæ virtutis, & efficaciæ, quod quicquid inuenit immediatè post se destruit, eiusq; oppositū inducit. quarè huiusmodi terminus infinitus solet etiam appellari terminus negatus, ratione illius negationis, non, quæ negat naturam illam, cui adiungitur, & facit, quod possit verificari de quacumq; alia natura, & ideo dicitur infinitus.

PVN-

PVNCTVM QVINTVM
De Affectionibus, seù Proprietatibus Terminorum.

POstquam de Terminorum natura, ac multiplici diuisione peregimus: de ipsorum proprietatibus decreui instituere sermonem: proprietas namq; semper rei naturam sequitur. Eæ autem sunt, Quantitas, Qualitas, & Suppositio: quibus postea solent addere Ampliationem, Restrictionem, Alienationem, Diminutionem, & Appellationem, in quibus tractandis adeo solent aliqui difficilia docere, vt non solum Nouitiorum confundant ingenia: verum etiam quidam periti Medici retulerunt mihi, integras consumpsisse noctes in tractatu de suppositione, Ampliatione, &c. parumq; plus nihilo percepisse. præterquàquod, multa, quæ nihil certè, vel si aliquid, id ferè nihil logico inseruiunt instituto, solent in huiusce tractatu potius ad pompam, quidam summulistæ (sit pace eorum id dictum) pertractare. Quarè nos paruam tirunculorum considerantes capacitatem, nè arduis, obscurisq; terrefacti in hoc principio difficultatibus, hic pausam facientes, vale dicant logicæ; ea tantummodo de terminorum proprietatibus exponam, quæ verè ad rectè syllogizandi artem esse nouerim necessaria.

Quantitas ergo termini est extensio quędam ipsius significationis ad plura, vel pauciora significata. Sunt enim quidam termini syncathegorematici, qui adiuncti cathegorematicis variant ipsorū quantitatem; vt sunt, ly omnis, nullus, aliquis, &c. quilibet horum terminorū additus huic termino, v.g. Homo: variat ipsius significationē. vt omnis homo: ecce quomodo ly omnis, extendit significationem nominis ad omnia sua significata: si autē dicas, aliquis homo, modo ly aliquis coarctat significatū hominis ad vnum

tantum

tantum indiuiduum. ac proinde, vt diximus suo loco, dicuntur hi termini habere officium. ille ergo terminus, qui extendit ad omnia, dicitur, nota vniuersalis. qui verò ad vnum, dicitur, nota particularis.

Qualitas termini nil aliud est, quam affirmatio, vel negatio, quam habent termini per easdem voces, omnis, nullus, &c. omnis namq; dat esse affirmatiuuum, vt omnis homo, affirmat de toto significato. nullus autem dat esse negatiuum, vt nullus homo; de toto negat. ita etiam ly aliquis dat esse affirmatiuum; aliquis verò non, negatiuum. Itaq; interroganti, hic terminus, omnis leo, quãtus est? debemus respondere per quantitatem eius: siquidem ly, quantus, quantitatem denotat, & sic dicere, illum terminũ esse vniuersalem, propter notam vniuersalem, omnis; & interroganti de eodem termino, qualis sit? debemus respondere per eius qualitatem: cum ly qualis, qualitatem indicet, & sic dicere, illum esse affirmatiuum, ob notam affimatiuam, omnis. Itaq; affirmatio, vel negatio dicitur terminorum qualitas. vniuersalitas verò, vel particularitas est ipsorum quantitas.

DE SVPPOSITIONE.

IN hoc tractatu, illud ante omnia præmittendum est, suppositionem posse duobus præcipuè modis intelligi; primo pro positione subiecti sub suo prædicato, siue inferioris sub suo superiori in recta linea prædicamentali, qua ratione indiuiduum dicitur supponi speciei, & species generi, & quodlibet subiectũ dicitur supponi suo prædicato in propositione. secundo pro positione termini pro aliquo significato: in quo sensu dicimus, quod in hac propositione, homo est albus: ly, Homo, non ponitur pro suo significato simplici, & primario: itaut sit sensus, id quod simpliciter significatur per terminum, homo, quod est ipsa

natura humana, est album: neq; enim esse album competit ipsi naturæ: sed ponitur pro significato secundario, & personali: ità vt sensus sit, indiuidua, quæ significantur per terminum, Homo, sunt alba: & de suppositione hoc secundo modo accepta est nobis in præsenti sermo, non de prima.

Item not. etiam est, suppositionem, esse ferè idem ac substitutionem; & supponere, idem ac substituere. vnde sicut substitutio vox est passiua, vt patet: ità etiam suppositio passiua vox est: Hinc Iauel. tract. 7. de suppositiõn. cap. 1. explicans suppositionis diffinitionem, inquit, in plus se habere acceptionem, quam suppositionem: cum acceptio possit sumi actiuè, passiuè, & neutraliter: suppositio autem tantũ est passiua sumptio termini, &c. Et sicut incongruus esset loquendi modus, si diceremus; hic terminus substituit, &c. ità incongruissimam arbitror esse loquutionem eorum, qui de suppositione agentes, sæpè hoc modo loquuntur videlicet, hic terminus supponitur, &c. cum potius dicendũ sit, hic terminus supponitur pro hoc, vel illo significato: vel substituitur loco alicuius rei. hoc etiam aduertit Fons. lib. 8. cap. 20.

Item tertio suppone, quod propriè, & in rigore loquendo, tantum nomina substantiua dicuntur in propositione supponi, vt bene notat Iauel. lo. cit. adiectiua autem nomina non supponuntur in propositione, siquidẽ potius tenent se ex parte substãtiuorum, quibus, quia adiacent, se vniunt, determinãdo illa. dicuntur autem impropriè supponi quatenus substantiua includunt, vel loco substantiuorũ ponuntur, tunc enim erunt virtualiter substantiua.

Potest autem id quinq; modis accidere: primo quando est relatiuum grammaticale: relatiuũ namq; ponitur loco sui substantiui antecedentis, vt illum Homo, qui peccat, punietur: relatiuum, qui, ponitur loco Hominis, & sic supponitur sicut eius antecedens, quod est Homo. Dixi, relatiuum grãmaticale, ad differentiam relatiui logici, de quo

agitur

agitur in prædicamētis cap. de Ad aliquid, cuiusmodi sunt Pater, & filius, Dominus, & seruus, &c. hæc enim relatiua propriè supponuntur; quia substantiua sunt.

Secundo quādo adiectiuum ponitur absolutè loco subiecti in propositione in genere neutro absque substantiuo, cui adiungatur: & tunc quia substantiuum includit, vt substantiuum supponitur, vt rationale est risibile.

Tertio quando pronomen aliquod demonstratiuum, vt hic, iste, ille, &c. absolutè ponitur demonstrato tamen indiuiduo, pro quo substituitur, & cuius loco supponitur, vt hic est doctus (*demonstrato ipso qui doctus est, nempè Francisco*) quia tunc idem sibi vult ly hic, ac Franciscus.

Quarto quando aliquod superlatiuum, quod per anthonomasiam tribuatur alicui, ponitur absolutè siuè substantiuo: tunc, quia illud includit, supponitur pro eo, vt Christianissimus pugnat. ly Christianissimus supponitur pro Gallorum Rege, qui Christianissimus Rex dicitur.

Sexto, & vltimo quādo ponitur participium, quod licet sit adiectiuum: tamen quia significat actum existentem in substantiuo, dicitur pro ipso substantiuo supponi, vt peccans punitur: quod idem est, ac Homo, qui peccat, &c. At verò si adiectiuum merè adiectiuè ponitur, ideſt cum suo substantiuo, non dicitur supponi. tandem supponendū est, non esse idem significare, ac supponere. siquidem in plus se habet *significare*, quam supponere, omnis enim terminus cathegorematicus, siuè significatiuus, tam extra propositionem, quam in propositione dicitur significare, seū suum habere significatum. non autem extra propositionem dicitur pro aliquo supponere: cum suppositio sit passio termini in propositione positi.

His suppositis ex Iauello mutuatis lo. cit. definitur sic ab eodem Iauel. suppositio. Acceptio termini substantiui, vel substantiuè tenti, in propositione extremaliter se habentis pro aliquo suo significato. Quæ tamen diffinitio in nostra

ter id, quod sunt voces, dum ore proferuntur, quod naturaliter illis conuenit: aliquid significant, ad quod significandum fuerunt institutæ, vt Homo, significat animal rationale: Animal, naturam sensitiuam, &c. & dantur voces non significatiuæ; supple, aliquid præter se: quia videlicet non fuerunt impositæ ad aliquid significandum; vt Buf, Baf, Biltiris, &c. hæ voces in aliqua propositione possunt supponi: sed tantum pro se ipsis, quatenus, scilicet, dum proferuntur, voces sunt: non tamen pro aliquo significato, cum non fuerint à primis impositoribus ad aliquid significãdum impositæ. Itaq; omnis vox significatiua potest supponi pro se, & pro suo significato: pro se, vt Homo est vox, pro suo significato; vt, Homo est animal. Vox autem non significatiua tantũ potest supponi pro se; vt Biltiris est vox. Hæc suppositio dicitur suppositio materialis: siquidem esse vocem, materialiter conuenit, tam homini, quam Bif, Buf, &c. at verò altera dicitur suppositio formalis: cum tunc terminus supponatur pro suo significato formali. Indicium suppositionis materialis est, quando prædicatum conuenit tantum ipsi voci, vt sic: non autem rei significatæ per talem vocem. & tunc ille terminus dicitur supponi materialiter. Indicium verò suppositionis formalis è contra: quãdo videlicet prædicatum conuenit non voci ipsi: sed potius rei significatæ per illam vocẽ. & tunc dicitur terminus ille formaliter supponi: vt in exemplis adductis patet.

Placet summopere diuisio suppositionis materialis, quã Toler. adducit, in intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca est acceptio termini in propositione pro se, secundum id, quod sibi naturaliter inest; idest, quando id tribuimus voci, quod nõ aduenit illi ex significatione; vt Homo est vox. esse vocem non conuenit alicui termino ex aliqua significatione ipsius artificiali: sed naturaliter, quatenus præcisè profertur ab Animali. Extrinseca verò est, acceptio termini in propositione pro se, secundũ id, quod ei ex significatione prouenit.

uenit. vt Homo est nomen; vel terminus, &c. esse nomen; vel esse terminum non conuenit Homini naturaliter, sed ex impositione, quòd extrinsecũ est ipsis vocibus. prima conuenit, tam vocibus significatiuis, quam non significatiuis: secunda verò tantum vocibus significatiuis.

Sed ommissa materiali suppositione, ad formalem, quæ magis necessaria est accedamus. Hæc autem multipliciter solet diuidi: Ego autem vtiliores huius suppositionis tantũ diuisiones adducam.

Prima ergo diuisio est in formalem propriam, & impropriam. suppositio propria est, acceptio termini pro eo significato, quod propriè, & per se significat; sęù ad quod significandum fuit à primis institutoribus institutus. vt Homo est animal: leo currit, &c. Impropria verò suppositio est sumptio termini non pro suo significato proprio: sed per aliquã, methaphoram, sęù similitudinem, sęù translationẽ accommodato, vt Roma est caput mundi. ly caput non supponitur propriè: sed impropriè. & sic de singulis.

Secunda diuisio suppositionis propriæ in primariam, sęù simplicem, secundariam, sęù personalem: & possumus etiã tertiam addere, nempè, communem. simplex, sęù primaria est acceptio termini pro significato immediato, & proximo: non autem pro mediato, & remoto (pro quo recolite, quæ lib. 1. pun. 2. diximus de diffinito mediato, & immediato) existentiũ huius suppositionis primariæ est in hac propositione, Homo est species: vbi ly Homo supponitur tantum pro natura humana, quæ immediatè, & proximè significatur per illum terminum: nõ autem supponitur pro indiuiduis, quæ sunt significata remota, & secundaria: quia illud prædicatum, species, non cõuenit nisi significato proximo termini, qui stat loco subiecti.

Suppositio secundaria, sęù personalis est acceptio termini non pro significato proximo, sed remoto, & mediato: vt in hoc propositione Homo currit, studet, &c. vbi ly Homo

non

non supponitur pro natura humana, vt sic: quia ipsa secundum se nec currit, nec studet, &c. sed supponitur pro indiuiduis ipsius, quæ sunt significata remota, quibus conuenit currere, scribere, studere, &c.

Tandem suppositio absoluta, seù communis, quæ additur à Fonseca lib. 8. cap. 26. est acceptio termini pro vtroq; significato, proximo, scilicet & remoto. vt in hac propositione, Homo est animal, &c. ly Homo non tantum supponitur pro ipsa natura humana, sed etiã pro ipsis indiuiduis, quibus æqualiter competit ratio animalis.

Tertio diuiditur suppositio in particularem, seù singularem, & in vniuersalem. particularis, seù singularis est sumptio termini pro se solo. vt Horatius est poeta lyricus. Hic homo (demonstrato Aristotele, v. g.) est eximius philosophus, &c. vniuersalis verò est sumptio termini pro omnibus inferioribus, & tunc semper illi præponitur signum vniuersale omne. vt omnis homo natura sua scire desiderat, &c.

Bifariam autẽ terminus vniuersalis potest in aliqua propositione supponi: vel pro singulis indiuiduis alicuius generis, vel speciei. vt omne animal mouetur. ly animal supponitur pro omnibus indiuiduis omnium specierũ sub ipso contentarum: nam & indiuidua leonis mouentur, & canes, & homines, & pisces, &c. & in propositione Aristotelica, omnis homo scire desiderat: ly omnis homo supponitur pro singulis indiuiduis naturæ humanæ: vel pro ipsis speciebus sub genere contentis, & nõ pro indiuiduis omnibus specierũ. vt in hac propositione omne animal fuit in Arca Noè. ly omne animal supponitur pro omnibus speciebus: non tamen pro omnibus indiuiduis: quia ego animal sum, & meus canis animal est, &c. & tamen minimè fuimus in Arca Noè. sensus ergo illius propositionis est: omnes species sub animali contentæ fuerunt in Arca Noè. quia ex qualibet specie fuerunt mas, & fæmina. Hæ autem suppositiones sic solent explicari. prima dicitur sumptio termini

pro

disiunctiua (vel) acceptam disiunctiuè, ideſt disiungentem etiam integras propoſitiones, vt v. g. ſi accipiamus hanc propoſit. aliquis homo ſtudet: ſubiectum huius ſic reſoluitur: vel hic homo ſtudet, vel ille. & dicitur deſcenſus disiunctiuus.

Quarto poteſt fieri, disiunctim, per disiunctionem (vel) disiungentem tãtum partes propoſitionis, & non ipſas integras propoſitiones, vt in hac propoſitione. Ad videndum requiritur oculus: ſic deſcẽditur, ad videndum requiritur, vel hic oculus, vel ille; ſcilicet, vel deſter, vel ſiniſter: nec poteſt deſcendi disiunctiuè dicendo; ad videndum determinatè requiritur, vel hic oculus, vel ille determinatè: quia ſenſus eſſet: ad videndum, vel deſterum oculum eſſe determinatè neceſſarium; vel determinate ſiniſtrum: cum tamen neuter ſit determinatè neceſſarius: ſed alter ex ipſis cõfusè, & hic vltimus deſcenſus dicitur disiunctus.

His poſitis facile explicatur quatruplex illa ſuppoſitio; nam primo, cum terminus propoſitionis reſoluitur per deſcenſum copulatiuum, tunc dicitur habere ſuppoſitionem diſtributiuam: quia ſcilicet ſignificatio illius ęquè diſtribuitur in omnia, & ſingula inferiora, omnis homo eſt animal: ergo, & hic homo eſt animal, & ille, &c.

Secundo cum reſoluitur per deſcenſum copulatum tantum, tunc eſt ſuppoſitio collectiua: quia ſcilicet ſignificatio conuenit omnibus inferioribus collectiuè tantũ, vt in exemplo poſito: omnes Apoſtoli ſunt duodecim.

Tertio cum reſoluitur per deſcenſum disiunctiuum, ſuppoſitio dicitur determinata: quia ſignificatio competit inferioribus disiunctiuè: vt omnis homo currit, ideſt vel hic homo currit; vel ille homo curritur: vbi ſemper aliquid determinate ſignificatur: ſed ſub disiunctione.

Quarto cum reſoluitur per deſcenſum disiunctum, tunc ſuppoſitio eſt confuſa: quia ſignificatio conuenit inferioribus in confuſo: vt ad æquitãdum requiritur æquus: vel hic

æquus, vel ille requiritur in confuso, & nullus determinatè. Hæc de suppositionibus ad bene syllogizzãdum necessaria iudicaui; qui plura, atq; adeo plura, vt quidem superflua dixerim de hac materia, ac de reliquis passionibus, & proprietatibus suppositionum desiderat, adeat Toletum lib. 2. à cap. 1. vsq; ad 11. Fonsecam à cap. 20. vsq; ad 24. Iauellum per totum tractatum septimum; nempè à cap. primo, vsque ad nonum, & alios.

PVNCTVM SEXTVM De Nomine, & Verbo.

ILlud in primis supponendum est, quod diuerso modo sumunt logici hanc vocem, Nomen, ac Grammatici: Hi namq; per nomen intelligunt totam illam sex casuum aggregationem, vt Nominatiuum, Genit. Dat. &c. at logici vocant nomen tantum ipsum Nominatiuum, seù rectum casum, qui casus ei deseruit ad logicalis propositionis compositionem. Et sic Arist. 1. Perhier. cap. 2. quem sequuntur D. Thom. & Ammon. excludit obliquos casus à ratione nominis logicalis, dum ait: Philonis autè, aut Philoni, & quæcumque talia sunt, non sunt nomina: sed casus nominis, &c.

Hoc posito: diffinit Arist. loco citato nomen sic: est vox significatiua secundum placitum, sinè tempore, cuius nulla pars significatiua est, separata. Vbi aduerte, Arist. diffinisse tantum nomen vocale; & ideo per vocem illud definiuit. quam posuit loco generis, non quod ly, vox, sit proprium ipsius nominis genus (vt optime adnotauit D. Thom.) immò dicitur vox, vt denotetur subiectum, & materia ipsius: genus namq; nominis proprium, signum est, in quo conuenit cum omnibus alijs signis, aut naturalibus, aut artificialibus. Nec quidem mirum est, nomen, sicut, & alia artificialia diffiniri per subiectum: nam artificialia suas habent materias,

terias, ideſt entia naturalia, & ſuas formas artificiales: ſic nomen etiam habet materiam, ideſt vocem; & formam artificialem, ideſt ſignificationem ad placitum. & ſicut quærenti, quid eſt columna? optimè ſatisfieret reſpondẽdo, eſſe lapidem longum, & rotundum: vbi lapis ſtaret loco generis, qui tamen propriè eſſet materia columnæ: longitudo verò, & latitudo loco differentiæ: cum potius pertinerent ad formam artificialem ipsius. sic nomen bene diffinitur ab Ariſtotile per vocem, quæ eſt eius materia, & ſtat loco generis. & per ſignificare ad placitum, quod eſt eius forma, & ſtat loco differentiæ.

In explicando autem hanc diffinitionem Ariſtot. docet, voces infinitas non dici propriè nomina logicalia, vt non homo, nõ animal, &c. ea enim nil determinatè ſignificant: & ideo ab antiquis nullam appellationẽ meruerunt: quod autem nil determinatũ ſignificent: patet à ſigno, quia poſſunt affirmari, & de ente vero, & de non ente; nam eodem modo dicimus; æquus eſt non homo; & chimera eſt nõ homo. vnde inquit D. Thom. quod ab imperitis ſolent in propositionibus collocari: quarè redditur propoſito illa inutilis, nec deſeruit ſyllogiſmo formando ab intellectu pro indaganda veritate, vt vidit etiam Iauel. tract. 2. cap. 2.

Cæterum notate, quod ad hoc, vt aliquod nomen infinitetur requiritur, vt negatio neget aliquid poſitiuum, quod à nomine ſignificabatur, & non illud ponat: quo fit, vt illæ tantum voces poſſint fieri infinitæ, quæ ex ſe ſignificant aliquid poſitiuum, quod deinde per negationem appoſitam tollatur: quarè hæc vox, Homo, quia poſitiuam rem ſignificat, fit infinita cum dicimus, non homo. Hinc fit, quod quandocumq; negatio appoſita ponit aliquid reale, & poſitiuũ, tunc vox illa non erit infinita, ſed potius finita: quale eſt exemplum illud Ariſt. 1. prior. cap. 3. vbi habet, aliud ſignificare, eſſe non æquale, aliud nõ eſſe æquale; quia nõ æquali ſubijcitur aliquid poſitiuum, ideſt inæquale: & ita

 valet

cisse cognouerint, non parua afficiar laude. mens auté mea hæc est, ab omnibus aliquid discere: has namq; obiectiones multoties Doctissimis viris proposui: doctasq; ab illis fateor habuisse solutiones: tamen nec animum meum sedarunt: dum autem omnibus proponuntur, non deficient ex illis, qui veritatem ipsam Aristotelicam defendentes, ipsius mihi mentem adaperient, quorumq; singulari doctrina animus meus acquiescet.)

Diffinitio ergo ab Aristotele tradita non mihi videtur exacta. & primo contra illam sic insurgo. Illa non est bona diffinitio, quæ competit alijs à diffinito: sed ista diffinitio conuenit quibusdã significatiuis vocibus, quæ nomina non sunt: ergo, &c. prob. mi. nam in primis conuenit omnibus casibus obliquis, qui quidem ex ipsomet Arist. vt supra diximus, nomina logica nõ sunt. conuenit etiam secundo vocibus infinitis, quas etiam non esse propriè nomina logica ex eodem vidimus. primũ patet nam, Philonis v.g. qui genetiuus est, potest rectè dici, vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars, &c. est vox, cum quicquid ore proferatur vox sit: significatiua, vt patet: nõ minus enim significat obliquus casus, quam rectus. ad placitum, cũ non sit naturalis: sinè tempore, cum nõ sit verbum: cuius nulla pars, &c. cum nõ sit oratio. secundum etiam eodem modo patet: nam hæc vox infinita, non homo, est vox, & significatiua, licet indeterminatè: hoc autem non facit ad rem, imò eo magis significatiua est, siquidẽ ad infinita se extendit. & ad placitum, cuius nulla pars, &c.

Hoc bene viderunt ipsius Arist. interpetres: vnde huic diffinitioni addiderunt duas particulas nempè (finita, & recta) finita, vt excludatur vox infinita: recta, vt excludantur obliqui casus: vel ergo hæ duæ particulæ sunt necessariæ huic diffinitioni: vel nè: si sunt necessariæ: ergo diminuta diffinitio Arist. in qua non extant illæ particulæ: si non sunt necessariæ: ergo superfluè adduntur ab omnibus eius expositoribus.

Secun-

Secundo contra illam particulam insurgo (cuius nulla pars aliquid significat separata) eritq; illud medium omnibus nouitijs cõmunissimum, sed minimè quidem euacuatũ, meo videri. Sunt nonnulla nomina tam composita, quam simplicia, quorum partes separatæ aliquid significãt: composita; vt Pater familias, cuius partes separatæ significatiuæ sunt, vt Pater, & familias: & Res publica, & alia huiusmodi. Simplicia, vt Dominus; Do, & minus: Magister; magis, & ter, & sic de multis alijs. ergo superfluè ponitur; cuius nulla pars separata, &c.

Non me latet Responsio ipsius Aristotelis in corpore capitis, vbi sic habet (in nomine enim; quod est æquiferus: ferus, nihil per se significat, quemadmodum in oratione, quæ est æquus ferus: at verò nõ quemadmodum in simplicibus nominibus, sic se habet in cõpositis: in illis enim nullo modo pars significatiua est: in his autem, vult quidem, sed nullius est separata, vt in eo, quod est æquiferus, hoc quod est ferus nihil significat per se.) hæc sunt formalia verba Arist. cuius mens dupliciter exponitur ab expositoribus super illud caput: primo; itàut dicat Arist. partes alicuius nominis compositi, separatas, nihil omninò significare per se: itàut, Pater, quatenus pars est huius nominis, Paterfamilias, nihil omninò significet. & magis, quatenus pars est separata huius nominis, Magister, nullum habeat significatum. secũdo; itàut intentum Philosophi sit, quod loquendo de partibus nominis compositi, licet separatæ aliquid significent, non tamen id quod vnitæ significabant: namque Paterfamilias significat, Rectorem familiæ: at verò sæparatæ, non sic: sed Pater significat Genitorem, & familia, familiam. & sic in toto significant vnũ: separatę verò significant duo. loquendo autem de partibus nominis simplicis, inquit, quod separatæ nullo modo significatiuæ sunt. Alij intelligunt de omnibus etiam de simplicibus, partes separatas, & si aliquid significare; non tamen id quod in toto significabant.

Tamen

Tamen cōtra has responsiones sic insurgo, & primo contra primam expositionem, quod, videlicet, nullo modo partes nominis, etiam compositi, separatæ significēt: quæ mihi videtur ipsi rationi, & intellectui omnino contraria. quis namq; intellectus, sit peritissimus; siue quātumuis ignarus, dummodo aliqualem habeat idiomatis intelligētiam: propositis illi huius nominis, Res publica, partibus seiunctis, nimirum ly, Res, statim non apprehendet ad minus termini trascendentalis, qui Res, dicitur, significationem, (vt supra pun. 4. diuis. 7. diximus?) & proposito illi ly, Publica, statim non intelliget publicas res, vel aliquid aliud, quod illa pars habet significare? apprehendentium autem nō est mendacium: sic etiā idem fateor de aliquibus nominibus simplicibus, vt sunt, Do, Minus, & Magis, Ter. & alia huiusmodi.

Secundo contra aliam intelligētiam Arist. nempè, quod licet partes illæ significent aliquid: non tamen quod prius significabant, quæ communior expositio est apud veros logicos, & verisimilior, vt optime adnotauit Iauel. tract. 2. cap. 2. vnde refert hic author, recitare Auicennam in logica sua, aliquos dixisse, quod verbū incomplexum, est cuius nulla pars separata aliquid significat: scilicet, quod sit de intellectu, & significato totius: quoniam nihil prohibet, aliquid aliud significare, vt Magister: nam, magis, aliquid significat: & Ter. sed non retinent significatum, quod significat Magister. Hæc sunt verba Iauelli.

Cæterum neq; hæc solutio sedat animum meum. Ratio autem hæc est. illa particula, cuius nulla pars, &c. ponitur ad differentiam Orationis, vt omnes fatentur; cuius partes separatæ significatiuæ sunt: sed eodem modo, quo se habēt partes separatæ Orationis, se habent etiam partes separatæ aliquorum nominū: ergo nulla est differētia: patet assumptum: partes huius orationis, Homo albus, separatæ, licet significent: nō tamen id, quod significabant prius: nam, homo albus, denotat albedinem esse in homine, tamquam in

subiecto. at verò, ly Homo, non significat subiectum albedinis: sed tãtum naturam humanam cum suis essentialibus attributis: & ly albus, non denotat præcisè albedinem esse in homine, sicut in oratione significabat, sed tãtum connotat, esse in aliquo subiecto, quodcũq; illud sit, siuè paries, siuè Cygnus, siuè homo, &c. ergo eodem modo se habent partes separatę orationis: ac partes separatæ illorum nominum: ergo frustra ponitur illa particula in diffinitione nominis ad differentiam Orationis.

Idem etiam de verbo dicendum est: partes namq; huius verbi, satisfacio, nempè, satis, & facio; & huius, circũdo, nempè, circum, & do; separatæ habent etiam aliquid significare vnde etiam superflua videtur eadem particula in ipsius diffinitione. Cuperem ergo, veriorem, germanioremq; Aristotelicę mentis expositionem legere, vel audire: statimque certè acquiescerem.

Diffinitio ergo, quam ego Nominis assignarem, ea esset, videlicet. Signum sine temporum varietate, in recto determinatè significans, potens esse extremũ propositionis: quæ diffinitio conuenit tam nomini mẽtali, quã vocali, & scripto: conueniunt enim in genere signi, & non vocis: reliquæ particulæ obtinent locum differẽtiæ, dicitur (sine varietate temporum) ad differentiam verbi, quod significat cum suis temporibus præsentibus præteritis, & futuris. dicitur, in recto, ad differentiam casuũ obliquorũ. determinatè significans, ad differentiam vocum infinitarum, & tandem dicitur, potens esse extremum propositionis; per quod differt ab ipso termino: terminũ namq; appello id, quod actu propositionem terminat: at verò nomen appello, extra ipsam propositionem vocem quãdam, quæ tamen potest esse terminus; vt, homo, extra propositionem non dicitur propriè, & in rigore terminus, cum terminus dicatur ab aliquid terminando: poterit tamen virtualiter, & in potentia dici terminus, siquidem, etsi nõ actu terminat, nihilominus potens

est

est terminare: dicetur ergo extra propositionem, nomen.

Vnde colligitur, male diffiniuisse nomē Iauel. per terminum: si tamen terminū sumpsit eo modo, quo nos sumimus: arbitror enim latius patere nomen, quam terminum.

Sed obiectio communis est cōtra illam particulam (sine tempore) Annus, mensis, hora, dies, &c. sunt nomina, & tamen tempus significant, vt patet: ergo superfluè ponitur. Respondeo tamen, aliud esse significare tempus, aliud cum tempore significare: nam ad hoc, quod aliqua vox tempus significet, sufficit significet spatium temporis, vt annus, &c. & sic nomen potest significare tempus: sed ad hoc, vt cum tempore significet, oportet significet per illa tria tempora, præsens scilicet præteritum, & futurum, quod nō conuenit nomini: sed verbo, quod semper dicit duo, vnū principale, scilicet ipsum, quod significat, siuè actio sit, siuè passio: alterum verò cōsequens, scilicet tempus, in quo talis actio siuè passio est. vt, orabo, primo significat eleuationē mentis ad Deum, secundo illam eleuationem futuram in tempore futuro. Quod alijs verbis olim solui explicare, nēpè aliud esse significare tempus in recto, aliud significare tempus in obliquo: proprium est nominis, non verbi significare tempus in recto, vt annus significat spatium duodecim mensium. orauit, autem non significat in recto tempus præteritum, sed in obliquo, dicimus enim ly orauit esse idem ac eleuationem mentis ad Deum factam fuisse in tempore præterito, ecce quomodo non significat tempus præteritum, sed in tempore præterito.

Sed iterum objicies: hæc nomina, Cæna, & Prandiū: de primario eorū significato significant comestionē: cōsequenter autem, & secundario significant tēpus huiusmodi comestionis, Cæna nempè serotinum: Prandium autem, matutinū. ergo eodem modo significat nomen tēpus, ac verbū.

Ad hoc argumentum respondent aliqui notando, quod tempus potest dupliciter considerari: vel quatenus extrin-

secè mensurat rem temporaneam: tempus enim propriè dicitur mensura extrinseca: vnde dicere solemus, vixit 50. annos. orauit per duas horas. Item etiam si absolutè dicamus, orauit: essentialiter, & primò denotatur actio orandi: extrinsecè verò, & secundariò præteritum tempus: quia per accidens est, quod fuerit tẽpore præterito, vel præsenti, &c. secundo potest tempus intrinsecè, & essentialiter alicui rei conuenire: itaut talis res nõ esset sinè tali determinato tempore: huiusmodi sunt hæc nomina, prandium, cæna, &c. Cæna namq; & prandium essentialiter, & intrinsecè significant sua tempora: id est, dicunt essentialem ordinem ad serotinum, & matutinũ: itaut sine connotatione huiusmodi temporũ, neq; illa diceretur cæna, neq; hoc prandium. Ad propositam ergo obiectionẽ respondent, quod alio modo verbum, alio modo nomen connotant tempus: nam verbũ connotat illud, vt extrinsecum sibi, & vt mensuram extrinsecam: at verò nomen connotat aliquando tẽpus, sed illud est intrinsecum, & de essentia illius; itaut essentialiter componatur ex eo, tamquam ex parte formali, qua ablata non remanebit idem in sua essentia.

Quæ solutio licet defendi possit: tamen continet doctrinam de tẽpore, an scilicet cum sit mensura extrinseca substantiæ, possit alicui cõuenire essentialiter, quam tyrunculi capere modo non possunt. Quarè, non absrè in nostra diffinitione addidimus ly (sinè temporum varietate) aliud est enim connotare tempus determinatum, vel significare aliquid, quod tempore determinato fit, itaut in alio fieri nequeat: aliud verò est significare aliquid fieri in aliquo tempore taliter, quod etiam possit in alio, & alio fieri. Cæna, & prandium verum est, quod significant aliquid, nempè comestionem in aliquo tẽpore, tamen illud tempus ita est determinatũ, vt variari nequeat: non enim cæna posset in alio tempore fieri; nec prandium, & ita in diffinitione dixi, sinè temporum varietate: hoc namque proprium est verbi, rem

scilicet significare in aliquo tempore non necessario, itaut variari nequeat.

Verbum etiam diffinitur ab Arist. cap. 3. sic: Quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum, quæ de altero prædicātur, nota. Hæc etiam mihi insufficiens videtur; non solū propter illa verba (cuius pars nihil significat seorsum) cōtra quæ militant eadem argumenta, quæ in diffinitione nominis fecimus: sed etiam propter illam particulam (consignificat tempus) vidimus enim, & cænam, & prandium tempus cōsignificare: Et tandem conuenit, & alijs temporibus ipsius verbi, nempè præterito, & futuro: quæ a ratione verbi logici excluduntur ab Arist. in corpore cap. vbi ait, valebit, & valebat, nō verbum est, sed casus verbi, supra quæ verba Ioan. Marinel. Boet. Ammon. Simpl. Ioan. Gram. & Alexan. asserunt, quod si dicatur in præterito tempore, vel futuro, non erit verbum: sed casus verbi. & tamen, cur non poterit sic diffiniri, erat, v.g. quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur nota. vt in hac propositione Petrus erat albus: ly erat consignificat tempus imperfectum, partes ipsius separatæ nihil significant nempè, e, & rat. estq; nota compositionis prædicati cum subiecto.

Sic etiam videtur eadem diffinitio conuenire Verbo infinito, quod fit per appositionē negationis, vt non valet, non laborat; quod etiam ab ipso Arist. excluditur à ratione verbi logici. pro quo nota, quod verbum infinitum dupliciter dari potest, vel extra orationem, itaut absolutè ponatur vt, non est, non currit, &c. vel tantū cum prædicato sine aliquo subiecto: vt non est homo: quia his duobus modis tantum indeterminatè significat, quod est de ratione verbi infiniti. nō autem erit infinitum si illi aliquod loco subiecti præponatur, vt si dicerem, leo nō est: quin potius finitū erit, siquidem negaret leonis existentiā tātum, quæ quid finitū est, & determinatum.

quid, & quotuplex sit examinare oportet.

Diffinit ergo Orationem Arist. sic; est vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est, &c. Quæ diffinitio, iuxta nostram doctrinam, modumq; docendi, quem sectamur non videtur exacta, nō solum propter illa verba, cuius partium aliqua significatiua est, quæ ponuntur ad differentiam nominis, & verbi, vt diximus punc. præced. & tamen non obstant: siquidem tota illa diffinitio illis nominibus, & verbis supra positis potest conuenire, namq; Pater familias, & circumspicio, &c. voces sunt significatiuæ, quarum aliquæ partes aliquid significant separatæ; vt probauimus: sed etiam nō est cur nos illam sequamur, cum tantum orationi vocali conueniat: nos autem de omni oratione logica, siuè mentalis sit, siuè vocalis, siuè scripta intendimus pertractare.

Itaq; ea mihi videtur optima orationis diffinitio, nempè: compositio plurium signorum ad vnum quid significādum instituta, vt plura. Compositio, locum obtinet generis: dicitur, plurimum signorum, ad differentiam nominis, & verbi, quæ possunt dici composita; verum non ex pluribus signis: sed tantum ex pluribus syllabis: vt Curro, Homo, &c. tum etiam ad differentiam alicuius compositionis partium non significatiuarum, vt verum enimuerò, &c. dicitur, ad vnumquid significandum, &c. ad differentiam aliquarum orationum; quæ plura possunt significata habere, vt hæc:

Ibis, redibis, non, morieris in bello. Et illa
Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

& aliæ huiusmodi, quæ potius sunt poeticæ, vel Rhethoricæ orationes, quam logicæ, quæ vnum quid debent significare, vt homo currit, Petrus scribit, &c. dicitur tandem, vt plura, ad differentiam aliquorum nominum compositorum, vt lucifer, Respublica, &c. quæ licet sint instituta ad vnumquid significandum, non tamen vt plura signa, seù vt

plures

hæc enim imperfecta est, si Ieiunaueris, ad hoc ergo vt perficiatur, duas orationes cōtineat oportet, vt si mādata Dei custodieris, gloriam consequeris.

Insuper not. quod (vt alibi diximus) solus casus rectus nominis, qui est ipse Nominatiuus casus; solumq; tēpus rectū verbi, quod est ipsum præsens indicatiui tempus ad propriā logicalem propositionē pertinent. ratio autem ea est: quia logici munus est verum, vel falsum indagare media propositione: hoc autem tātum præstat Indicatiua oratio, primo, & per se: neq; enim aliorum modorū enunciationes id habent propriè: nam vt aduertit Iauel. illæ potius deseruiunt affectui mentis, quam indagandæ veritati, vel falsitati. Et licet aliqua oratio non temporis præsentis indicatiui modi, vt præteriti, vel futuri videatur aliquam veritatem, vel falsitatē continere, vt ista filius Dei venturus est iudicare viuos, & mortuos; & ista filius Dei assumpsit humanam carnem de Virgine Maria, &c. Ideo tamē istæ veræ sunt: quia aliquando erit verum dicere, nunc filius Dei iudicat viuos, & mortuos. sicut etiam fuit aliquando verū dicere, nunc filius Dei est in vtero virginis nostram carnem assumens.

Diffinitur ergo cōmuniter Propositio sic: est oratio perfecta, in qua verum, vel falsum asseritur. Oratio ponitur loco generis. dicitur perfecta, ad differentiam orationis imperfectæ: dicitur, in qua verū, vel falsum asseritur ad differentiam aliarum orationum perfectarum, nempè Imperatiuæ, Deprecatiuæ, &c. quæ nec verum, nec falsum habent significare: Imperatiua namq; indicat per imperium superioris uoluntatem. ut fiat lux, &c. Deprecatiua affectum inferioris erga superiorē, ut parce mihi, &c. Optatiua, optantis desiderium, ut utinā bonus essem seruus Dei. Coniunctiua tandem licet uerum, uel falsum indicet aliquādo, tamen id sub conditione, nō absolutè, & determinatè, ut si semper in lege Dei ambulaueris, & mandata eius custorieris uitam consequeris æternam. propositio autem logicalis propria,

debet

appositam ante subiectum. Particularis verò, quę datur per notam particularem. Notæ vniuersales sunt, omnis, nullus, quilibet, &c. vnde hæc est propositio vniuersalis, omnis homo est animal. Notæ particulares sunt, aliquis, quidam, &c. Vnde hæc erit particularis propositio. Aliquis homo currit.

Tertio diuiditur propositio, in indefinitã, & singularem. Indefinita, quãdo loco subiecti stat nomen aliquod specificum, siuè genericum, sine aliqua nota; vt homo est animal: animal est substãtia, &c. dicitur indefinita, idest indeterminata: tum quia non determinatur ad certam quantitatẽ per aliquam notam siuè vniuersalem, siuè particularẽ: tum etiã quia secũdum se indifferens est, ad hoc vt determinetur ad aliquam quantitatem: hanc enim determinationem habet à materia, vt infra dicã: si enim materia propositionis erit necessaria, vt cum prædicatum est de necessitate subiecti, tunc propositio indefinita erit vniuersalis, vt Homo est animal: idem est ac omnis homo est animal: quia ly animal necessariò conuenit cuilibet homini. si autem materia propositionis non erit necessaria, vt cum prædicatum est contingens, tunc propositio indefinita erit particularis, vt Homo currit: idem est ac aliquis homo currit; siquidem contingens est hominem currere.

Propositio singularis est, quãdo loco subiecti stat indiuiduum aliquod, siuè nominatu, vt Plato est doctus; siuè demonstratum, vt hic homo currit; siuè circumlocutũ, vt Perhipateticorũ princeps docet; siue tandem ex suppositione, vt Ioannis filius mortuus est; supposito quod alium filium non habeat.

Quarto diuiditur in affirmatiuã, & negatiuam. Affirmatiua est, quando ante copulã non ponitur negatio, idest particula negatiua, non, licet ponatur ante subiectum, vel prædicatum, vt homo currit. hoc autem intellige si propositio sit indefinita, vel singularis: quod si sit vniuersalis vel particularis, vltra hoc requiritur etiam, quod nota siuè vniuersa-

lis, siuè particularis non sit negatiua, siuè negata: negatiua vt nullus, aliquis non; negatam voco, quãdo notæ affirmamatiuæ præponitur negatio non, vt non omnis, quod idem est, ac aliquis non: & non aliquis, quod idest est, ac nullus, vt infra dicam.

Negatiua propositio potest pluribus modis fieri; primo per appositionem negationis ante copulam, vt homo nõ est lapis. secundo per notam negatiuam, siuè vniuersalem, siuè particularem, vt nullus homo currit: aliquis homo nõ currit. tertio per appositionem negationis ante notam affirmatiuam, vt non omnis homo currit; non aliquis homo currit.

Item aduerte quod aliqua propositio siuè vniuersalis, siuè particularis poterit fieri affirmatiua per appositionẽ negationis ante notam negatiuam, siuè vniuersalem, siuè particularem. vt nõ nullus homo currit, idem est, ac aliquis homo currit, & non aliquis homo nõ currit idem est, ac omnis homo currit. vt in æquipollentijs propositionum dicam.

Illud etiam notãdum, hanc propositionẽ non homo est non lapis, non esse negatiuam, sed affirmatiuam: illæ namq; negationes sumuntur, vt partes terminorum, quos reddunt infinitos, non autem vt negantes ipsam propositionem.

Quinto diuiditur in necessariam, impossibilem, & cõtingentem: necessaria est, in qua prædicatum necessario cõuenit subiecto, vt Petrus est homo. Impossibilis est, in qua prędicatum nullo modo potest cõuenire subiecto: vt homo est leo. Contingens est, in qua prædicatum potest cõuenire, & non conuenire subiecto, vt Petrus currit: contingens enim est Petrum currere, sicut contingens est ipsum non currere.

Sexto diuiditur in Identicam, & Formalem. Identica est, quando idem de eodem prędicatur: vt Franciscus est Franciscus: Homo est homo, &c. Formalis est quando prædicatum habet se, vt forma subiecti, vel est vniuersalius ipso subiecto, vt Homo est animal: Franciscus est albus: ly animal est vniuersalius homine: & albedo se habet, vt forma respectu Francisci.

Septi-

Septimo diuiditur in Cathegoricam, & Hypoteticam: Cathegorica idem est, ac simplex, & est, in qua vnicum tantum subiectum, vnica copula, vnicumq; prædicatum reperitur, vt Homo est animal. Hypotetica, idem est, ac composita, & est, quæ constat ex pluribus Cathegoricis vnitis aliquo signo necessario. Hęc autē signa possunt esse fęrè quinque: primum est copula (&) per quod signum fit hypotetica copulatiua: vt ego dormio, & cor meū vigilat. secundum est particula conditionalis (si) per quod signum fit Hypotetica cōditionalis: vt si sol lucet dies est. tertium signum est particula causalis (quia) per quod signū fit Hypotetica causalis: vt quia sol lucet, dies est. quartum signum est particula disiunctiua (vel) per quod fit Hypotetica disiunctiua: vt, vel dies est, vel nox. quintum signum est particula illatiua (igitur, vel ergo) per quod signum fit Hypotetica illatiua, vt sol lucet: ergo dies est: plura etiam reperies propositionis huius signa: hæc tamen sunt præcipua, adque possunt reduci reliqua.

Octauo diuiditur in absolutam, & modalē: absoluta est cum simpliciter significatur cōnexio prędicati cū subiecto, quæ ab alijs dici solet, propositio deinesse, idest significans absolutè conuenientiā prædicati cum subiecto, sine aliqua determinatione modi; vt Homo est animal, &c. Modalis verò est, in qua exprimitur. modus, quo prædicatum inest subiecto: modi verò sunt quatuor, Necessarium, Contingens, Possibile, & Impossibile: vt necessariū est Deum esse: Contingens est hominem currere: Possibile est hominem ridere: Impossibile est hominem esse leonem.

Nono diuiditur in propositionem de secūdo adiacente, & de tertio adiacente. Propositio de secundo adiacente est, quando prædicatum nō ponitur expresse, sed includitur in verbo; vt cū dicimus, homo est: nam sensus est homo est ens, dicitur de secundo adiacente: quia post subiectū, quod primo iacet, & substernitur, solum verbū ponitur, quasi secun-

do adiacens illi. Propositio de tertio adiacente est, quando explicitè ponitur post copulam prædicatum, vt Homo est animal. dicitur de tertio adiacente: quia præter verbum, quod secundo adiacet, ponitur prędicatum explicitè, quod quasi tertio loco adiacet. & ideo ab Auer. propositio de secundo adiacente sæpè dicitur propositio binaria, vel de binario: propositio verò de tertio adiacente, dicitur ternaria, uel de ternario.

Decimo diuiditur in directã, & in indirectã: directa est, cũ seruatur ordo naturalis terminorũ, ut is prædicetur de altero, qui iurè inest alteri: is subijciatur, qui uerè subest. Indirecta uerò est cũ hic ordo peruertitur. Vt autem cognoscatur, quid sit, quod naturaliter debeat subijci, & quid prædicari: Not. quod omne, quod de altero dicitur, aut est superius, & uniuersalius, quod habet sub se alia inferiora, de quibus dicitur, ut homo est animal: tunc enim animal est quid uniuersalius homine: quia dicitur etiam de leone, cane, &c, & tunc ut fiat propositio naturalis, & directa, id quod est uniuersalius debet poni loco prædicati. quod si secus fiat propositio erit indirecta, & innaturalis. aut id quod prædicatur est accidens, quod inest subiecto, ut albedo inest homini: uel si non est accidens, se habet nihilominus admodum formæ accidentalis, ut est quælibet differentia essentialis, & sic rationalitas, licet nõ sit accidens, se habet tamen admodũ accidentalis formæ, (vt alibi diximus, & in magna logica Deo dante latius) & tunc, vt fiat propositio naturalis, & directa, illa forma siuè accidentalis sit, siuè essentialis debet poni loco prædicati. vt homo est risibilis; homo est rationalis. si secus fiat erit indirecta, & innaturalis prædicatio, vt si dicas, rationale est homo; risibile est homo.

PVN-

PVNCTVM NONVM

De Veritate, Falſitate, & Oppoſitione Propoſitionum.

ILlud in primis obſeruandum, quod hic loquimur de propoſitione abſoluta, quæ magis ad rem noſtram facit: infra enim, aliqua etiam de modali trademus. quatuor ergo communiter ſolent aſſignari proprietates propoſitionis: quarum prima eſt veritas, vel falſitas; ſecunda oppoſitio; tertia reciprocatio; quarta æquipollentia: in præſenti puncto erit tãtum ſermo de duabus prioribus, nempè de veritate, vel falſitate, & de oppoſitione.

Veritas ergo, vel falſitas propoſitionis nil aliud eſt, quam conuenientia, vel diſconuenientia prædicati cum ſubiecto: vt Petrus eſt homo: Petrus eſt lapis: prima eſt vera, quia eſſe hominem conuenit Petro: ſecunda falſa, quia nõ conuenit Petro eſſe lapidem. ſic etiam in propoſitionibus negatiuis, tunc vera eſt propoſitio, quando negatur aliquid de ſubiecto, quod illi nõ conuenit; tunc verò falſa, quando id, quod illi competit remouetur, vt homo nõ eſt lapis; vera eſt; quia negatur de homine eſſe lapidem, quod re vera illi nõ competit. homo nõ eſt animal, falſa eſt: quia negatur de homine id, quod illi rè vera competit, quod eſt eſſe animal.

Sed oportet adnotare quatuor regulas neceſſarias ad cognoſcendam veritatem, vel falſitatem abſolutæ propoſitionis. Prima regula eſt de propoſitione vniuerſali: tunc vniuerſalis propoſitio eſt vera, quando prædicatum verificatur de omni cõtento ſub ſubiecto: & ſic prædicatum debet eſſe neceſſarium: vt omnis homo eſt animal. tunc verò eſt falſa, quando prędicatum non verificatur de omni contento ſub ſubiecto; cuius ſignum erit, cum prædicatum nõ erit neceſſarium: vt omnis homo currit, omnis homo eſt lapis, &c.

Secunda regula ſit de propoſitione particulari: tunc particularis propoſitio eſt vera, quando prædicatum nõ eſt im-

poſſi-

possibile: & tunc falsa, quando prædicatum est impossibile, vt aliquis homo est doctus; currit, studet, &c. veræ propositiones: aliquis homo est lapis falsa.

Tertia regula sit de propositione singulari. tunc propositio singularis est vera, quando prædicatũ verificatur de subiecto, eo modo, quo ponitur: vt D. Petrus est Apostolus. tũc falsa, quando prædicatũ non verificatur de subiecto eo modo, quo ponitur, vt D. Petrus, currit, studet, &c.

Quarta regula sit de propositione infinita: si fuerit prędicatũ necessariũ, seruabit regulã propositionis vniuersalis: nã idẽ est dicere, homo est animal: ac omnis homo. si autẽ prędicatũ fuerit cõtingens, vel possibile; seruabit regulã propositionis particularis: nam idẽ est dicere, homo currit: ac aliquis homo: & ideo dicitur indefinita, idest indeterminata, vt diximus pun. præced. itaq; tunc tantum est falsa, quando prædicatum est impossibile, vt homo est leo.

Oppositio propositionũ est repugnãtia duarum propositionũ eadẽ omnino extrema participantiũ, eãdemq; copulã: mutata tamen, vel quantitate, vel qualitate: vt omnis homo currit. nullus homo currit. hæ sunt duæ propositiones, habentq; ambæ idem subiectum, homo, eandem copulam cum eodẽ prædicato currit: opponuntur tamen ratione variationis illarum vocum, omnis, & nullus.

Quatuor assignantur species oppositionũ. prima dicitur contraria, & est inter duas propositiones vniuersales, quarũ altera sit affirmatiua, altera negatiua: vt omnis homo est animal, nullus homo est animal.

Secũda ditur subcõtraria, & est inter duas propositiones particulares, quarũ altera sit affirmatiua, altera negatiua: vt quidam homo est animal: quidam homo non est animal.

Tertia dicitur cõtradictoria, & est quãdo vna propositio est vniuersalis, & altera particularis; sed vna affirmatiua, & altera negatiua. vt omnis homo est animal; aliquis homo nõ est animal. vel è contra, nullus homo est animal: aliquis homo est animal.

Quarta

Quarta dicitur ſubalterna,& eſt quãdo vna propoſitio eſt vniuerſalis,& altera particularis; ſed vtraq; vel affirmatiua, vel negatiua. vt omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal.vel nullus hõ eſt animal, aliquis hmo nõ eſt animal.


Sed pro intelligẽtia harũ oppoſitionũ not.quod propoſitio habet ſuã quãtitatẽ,& qualitatẽ. Quãtitas propoſitionis eſt vniuerſalitas, vel particularitas, quã accipit propoſitio à notis vniuerſalibus,vel particularibus, &c. ſic etiam ad eius quantitatem pertinent ſingularitas, & indefinitas. Qualitas verò propoſitionis eſt affirmatio, vel negatio, quam habet, (vt vidimus) propoſitio, vel à particula negatiua, non, appoſita, vel non appoſita ante copulam: vel à vocibus affirmatiuis, & negatiuis omnis, nullus,&c.

Hoc adnotato,ſciendum eſt modo, quod oppoſitio propoſitionum poteſt eſſe,vel in quãtitate,vel in qualitate illarum. Oppoſitio contraria non eſt inter quantitates,cũ vtraque propoſitio ſit vniuerſalis: ſed tantum inter qualitates: cũ altera ſit affirmatiua; altera verò negatiua. vt omnis homo eſt animal:nullus homo eſt animal.Subcontrariæ etiam opponuntur quantum ad qualitates ſolummodò: cum habent eandem quantitatem particularem:cæterum altera eſt affirmans, altera verò negans: vt aliquis homo eſt animal: aliquis homo non eſt animal. Contradictoriæ opponuntur non ſolum quoad qualitatẽ: ſed etiam quoad quantitatem: cum altera debeat eſſe vniuerſalis, altera particularis,altera affirmans, altera negans. vt omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal. vel, nullus homo eſt animal, aliquis homo eſt animal. Tandem ſubalternæ opponuntur. tantum ratione quantitatis,non qualitatis: ſiquidem conueniunt in qualitate: nam, vel eſt vtraq; affirmans: vel vtraq; negans: cæterum prima eſt vniuerſalis, ſecunda particularis. vt omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal. vel nullus homo eſt animal,aliquis homo non eſt animal,vt videre eſt in ſequentibus figuris.

Duæ


Duæ figuræ Oppoſitionum Propoſitionum in materia neceſſaria, & contingenti.

Figura Oppoſitionum in materia neceſſaria.



igura

Figura oppoſitionum in materia Contingenti.



Poſui has duas figuras, quarum prima eſt in materia neceſſaria, altera in materia contingenti propter ſubſequentes regulas oppoſitionum.

Prima regula eſt, quod in materia neceſſaria, cõtradictoriæ nõ poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ: ſed affirmatiua eſt vera, negatiua falſa: at verò in materia contingenti vtraq; eſt falſa, vt videre libet in figuris.

Secunda regula in materia neceſſaria, ſubcõtrariæ eodẽ modo, quo de cõtrarijs diximus, nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ, ſed affirmatiua ſemper vera, negatiua falſa: in materia tamen contingenti ſunt ambæ veræ.

Tertia regula, cõtradictoriæ in nulla materia poſſunt eſſe ſimul veræ: vnde in materia neceſſaria, affirmatiua erit vera, negatiua falſa: ſiuè particularis ſit, ſiuè vniuerſalis: in materia verò contingenti ſemper particularis erit vera, ſiuè affirmatiua ſit, ſiuè negatiua: vniuerſalis verò falſa.

O Quarta

Quarta regula. Subalternæ in materia necessaria, affirmatiuæ veræ, negatiuæ falsæ: in materia verò contingenti non possunt esse simul veræ: sed vniuersalis semper erit falsa, particularis autem semper vera: vt in figuris.

Ex quibus regulis colligitur, in materia necessaria semper propositiones affirmãtes esse veras, negãtes verò falsa: at in materia cõtingẽti, semper vniuersales falsas, & particulares veras.

PVNCTVM DECIMVM
De Æquipollentia, & Reciprocatione Propositionum absolutarum.

AEQuipollentia deriuatur à verbo æquipolleo, es: & idẽ significat, ac æquiualeo. Cõducit hæc propositionũ proprietas ad cognoscẽdam oppositionẽ, & conuenitienã propositionũ. Diffinitur autem sic, est conuenientia in sensu duarum propositionum, ijsdem extremis participantium; diuersis tamen signis. quando ergo duæ propositiones habentes eadem subiecta, prædicata, & copulas: nõ tamen eadem signa, concordabunt in sensu, erunt æquipollentes. Dixi, noneadem signa: quia propositiones æquipollentes, vel constant signis diuersis in qualitate, vt sunt contrariæ, & subcontrariæ: vel in quantitate, vt sunt contradictoriæ, & subalternæ. Cæterũ vt hæ propositiones fiant æquipollentes notandæ sunt quædam regulæ.

Prima regula fit de propositionibus contrarijs. tunc propositiones contrariæ conuenient in sensu, quando post subiectum alterius ex illis ponatur negatio, non, vt hę sunt propositiones contrariæ. Omnis homo est animal: Nullus homo est animal. vt hæ propositiones idem omnino significent, ponenda est negatio post subiectum alterius ex illis: vnde sic erunt æquipollentes. Omnis homo non est animal, & nullus homo est animal. Vel omnis homo est animal, & nullus homo non est animal.

Secun-

Secunda regula de Contradictorijs. Tunc Contradictoriæ propositiones conuenient in sensu, quando ante subiectum alterius collocabitur negatio, non, v.g. hæ sunt cõtradictoriæ: omnis homo est animal: aliquis homo non est animal. vt eundem sensum reddant hæ duæ propositiones, ponenda est negatio, non, ante subiectum alterius ex illis; & sic hæ erunt æquipollentes, non omnis homo est animal, idem est ac aliquis homo non est animal. Et è contra, non aliquis homo non est animal, idem est ac omnis homo est animal. sic etiam illæ, nullus homo est animal, idem est, ac non aliquis homo est animal. vel nonnullus homo est animal, æquipollet huic, aliquis homo est animal.

Tertia regula de subalternis. Tunc propositiones subalternæ conuenient in sensu: quando ponentur duæ negationes, altera ante subiectum, altera post subiectum alterius. vt hæ sunt subalternæ: omnis homo est animal; aliquis homo est animal. vt conueniant in sensu, pone vnam negationem ante subiectum. alteram post subiectum alterius ex illis, sic: non omnis homo non est animal, idem est ac, aliquis homo est animal. Et non aliquis homo non est animal, idem est ac omnis homo est animal. sic etiam in negatiuis, si dicas; nonnullus homo nõ est animal, idem erit ac dicere, aliquis homo nõ est animal. vel etiam iuxta hanc regulam, si idem obserues ex parte particularis negatiuæ, vt si dicas, non aliquis homo non nõ est animal, idem erit ac nullus homo est animal. Cæterum non est in vsu ob incongruum loquendi modum per duas negationes successiuè positas, non, non. De subcontrarijs non inuenitur aliqua certa regula apud Dialecticos. Ad has ergo regulas explicandas adinuenere Prisci summulistæ versiculum illum, quem recitat D. Thom. opusc. 48. de Enunciatione cap. 9.

Præ; Contradic. Post; Contra. Præ; Postq;. Subalter.

Qui versus sic est explicandus: negatio præposita subiecto alicuius propositionis, facit illam propositionem æquiualere suæ contradictoriæ. vt non omnis, idem est ac quidam non. Et non quidam non, idem est ac omnis. sic etiam nonnullus, idem est, ac, aliquis. & non aliquis, idem ac nullus. hoc sibi vult Præ, Contradic.

Post, Contra. idest, negatio postposita subiecto alicuius propositionis vniuersalis, facit illam æquiualere suæ contrariæ. vt omnis non, idem est ac, nullus, & nullus non, idem est ac omnis.

Præ, Postq;, Subalter. Idest negatio præposita, & postposita subiecto alicuius propositionis, facit illam æquiualere suæ subalternæ; vt non omnis non, idem est ac, aliquis. & non aliquis non, idem est ac omnis. & nonnullus non, idem est ac, aliquis non.

Vltima tādem Propositionum proprietas est Reciprocatio, siuè Conuersio. & nil aliud est, quam cōmutatio extremorum alicuius propositionis, scilicet subiecti in prędicatū, & prædicati in subiectū; manente tamen eadem qualitate, & veritate illius, siuè quantitas eadem persistat, siuè non. vt nullus homo est lapis, nullus lapis est homo. vbi nota, quod illa propositio, cuius termini conuertuntur dicitur conuersa: illa verò, quæ per illam conuersionem resultat dicitur conuertens.

Triplex ergo cōuersio esse potest, prima dicitur simplex, siuè totalis, & tunc est, quando taliter fit mutatio extremorum, vt remaneat eadem qualitas, eadem quantitas, & eadem veritas. vt nullus homo est leo, nullus leo est homo. dicitur totalis conuersio, quia secundum totum conuertitur: vtraq; namq; propositio, & conuersa, & cōuertens, vniuersalis est, negatiua, & vera.

Secunda Conuersio dicitur per accidens, & partialis, & tunc est, quando remanet eadem veritas, & eadem qualitas, mutata tantum quantitate vniuersali, in particularem.

Vt omnis homo eſt animal,non eſſet bona conuerſio ſecundum totum ſic; omne animal eſt homo : quia non remaneret eadem veritas. ſed debet mutari illa quantitatis vniuerſalis in particularem, ſic, aliquod animal eſt homo.

Tertia dicitur Conuerſio per contrapoſitionem, & tunc eſt, quando remanet eadem quantitas, & eadem qualitas, mutatis tantum terminis finitis in terminos infinitos,vt omnis homo eſt rationalis:per contrapoſitione ſic conuertitur. omne non rationale eſt non homo. vt autem ſciamus, quæ propoſitiones debeant conuerti ſimpliciter; quæ per accidens, & quæ tandem per contrapoſitionem, adinuenere Dialectici ſequentes verſus.

Feci, Simpliciter: Conuertitur Eua per Acci.
Aſto, per Contra. ſic fit Conuerſio tota.

In quibus verſibus conſiderandæ ſunt illæ tres voces. Feci, Eua, & Aſto. in quibus quatuor reperiűtur vocales A. E. I. O. A. eſt vniuerſalis affirmatiua, & idem eſt, ac omnis: E, vniuerſalis negatiua,& idem eſt ac,nullus. I. particularis affirmatiua, & idem eſt ac, aliquis. O, tandem particularis negatiua,& idem eſt ac, aliquis non:pro quibus litteris ſunt: & alij verſus.

Aſſerit, A; negat, E, ſed vniuerſaliter ambo.
Aſſerit I, negat O; ſed particulariter ambo.

In dictione ergo, Feci, duæ ex ipſis vocalibus reperiuntur, E, & I. in dictione, Eua, duæ aliæ, E, & A; tandem in Aſto, A, & O. ſic igitur ſunt illi verſus interpetrandi.

Feci; ſimpliciter. Ideſt, propoſitiones omnes tam vniuerſales negatiuæ, ſignificatæ per vocalẽ, E, in Fe. quã particulares affirmatiuæ, ſignificatæ per vocalẽ, I, in Ci, poſſunt cõuerti ſimpliciter,ideſt manẽte vtrobiq; eadẽqualitate,quantitate, & veritate; vt nullus homo eſt leo, nullus leo eſt homo. Aliquis homo eſt albus, aliquod album eſt homo.

Con-

Cóuertitur Eua per acci: Ideſt, propoſitiones omnes vniuerſales negatiuæ, & vniuerſales affirmatiuæ ſignificatæ per illas duas vocalès dictionis, Eua, nempè E, & A. poſſunt cóuerti per Accidens, ideſt mutata tantum quantitate vniuerſali in quãtitatem particularem, vt omnis homo eſt animal. aliquod animal eſt homo. & nullus homo eſt leo: aliquis leo non eſt homo.

Aſto per contra. hoc eſt, propoſitiones vniuerſales affirmatiuæ, & particulares negatiuæ, ſignificatæ per illas duas vocales dictionis, Aſto, nempè, A, & O. poſſunt conuerti per contrapoſitionem, ideſt mutatis tantum terminis finitis in terminos infinitos, vt omnis homo eſt animal. omne non animal eſt non homo. & aliquis homo nō eſt albus. aliquod non album non eſt non homo. Cæterum quia hiſce temporibus iam non ſunt amplius in vſu huiuſmodi reciprocationes; immò nihil Iuuenibus conferunt, non eſt cur amplius immoremur in illis.

Ad calcẽ huius pũcti illud notãdũ eſt, quod triplex interrogatio poteſt de aliqua propoſitione abſoluta fieri. Quæ, Qualis, & Quanta. vnde ad interrogationẽ factam per Que, debemus reſpondere per Cathegoricã, vel Hypoteticam. vt quæ propoſitio eſt iſta, Homo currit? eſt Cathegorica, cum vnico ſubiecto, vnica copula, & vnico conſtet prædicato.

Ad interrogationẽ factam per Qualis: debemus reſpondere per eius qualitatẽ, nempè ſi eſt affirmatiua, vel negatiua. vt qualis propoſitio eſt, homo currit? affirmatiua.

Tandem ad interrogationem factam per quanta, debemus per eius quantitatem reſpondere, nempè, ſi eſt vniuerſalis, vel particularis, indefinita, vel ſingularis. vt quanta eſt iſta propoſitio, homo currit? indefinita, vt diximus ſupra. quarè adinuentus eſt ille verſus.

Quæ, Ca; vel Hyp. Qualis, Ne, vel af,
V, Quanta par, in, ſin.

Ideſt

Ideſt ſi quis te interroget de aliqua propoſitione Quæ propoſitio ſit? debes reſpondere, Ca, vel Hyp. ideſt ſi fuerit ſimplex, Cathegorica: ſi compoſita, Hippotetica. Item ſi quis te interroget; Qualis ſit? debes reſpondere, Ne, vel Af. ideſt, ſi fuerit affirmatiua, affirmatiua, ſi è contra, negatiua. Item ſi quis à te petet, Quãta illa ſit? debes reſpondere V. ideſt vniuerſalis. ſi vniuerſalis fuerit. par. ideſt particularis, ſi fuerit particularis. In, ideſt, indefinita, ſi indefinita fuerit. & tandem, Sin. ideſt, ſingularis, ſi talis etiam fuerit. hactenus de propoſitionibus abſolutis.

PVNCTVM VNDECIMVM.

De Propoſitionibus modalibus.

Decreueram ſicco veſtigio hanc difficillimã de modalibus tractationẽ pertranſire, quæ Nouitijs moleſta ſatis eſſe ſolet, & vtilis parum, quantum huc vſq; capere potui. Cæterum, ne videar plus alijs ſapere, breuiter, ea quæ clarè, ac facile de hiſce propoſitionibus potuero pertractare, earũq; proprietatibus, aperiã, ad acuenda potius ipſorum tyrunculorum ingenia, quam ad aliud in illis proficiendum, cum hic tractatus ſtatim vale dicat memoriæ, diſcedatq; à mente.

Quarè in primis illud notãdum eſt, modum eſſe ſignum quodam modificans, ſiuè determinans aliquid, cui adiacet. vnde omnia adiectiua poſſunt vocari modi, vt Homo ſapiens intelligit: ly ſapiens, poteſt dici modus, quia determinat ly Homo, itaut nõ ſe extendat ad omnia indiuidua naturæ humanæ. & demum infiniti poſſunt aſſignari modi determinantes partem aliquam propoſitionis, vt ſubiectũ tantum, vel copulam, &c. ſubiectum; vt in propoſita propoſitione: vbi, ly ſapiens modificat tantum illud ſubiectũ homo: eodem modo ſe habent obliqui caſus nominum. vt æquus Franciſci currit. ly Franciſci modificat. ly æquus, vt non ſe exten-


extendat ad quemcumq; æquum: sed tantũ ad æquũ Francisci possunt etiam dari modi modificantes tantũ copulam, vt Franciscus sapienter disputat. vbi ly sapienter non modificat totam propositionem, sed tantum ly disputat, itaut nõ se extendat ad quomodolibet disputare: sed ad doctè, & eruditè, &c. qui modi sunt secundum quid: At nos tantũ in præsentiarum agimus de his modis, qui modificãt, & determinant totam propositionẽ, idest vnionem, & cõnexionem prędicati cum subiecto. Hi autem modi sunt quatuor, vt supra diximus. nempè. Possibile, Impossibile, Necessarium, & Contingens, qui reducuntur ad tres: nam ly possibile, & ly contingens pro eodem vsurpantur à Dialecticis. quorũ modorum sufficientia desumitur ex triplici propositionũ materia, quæ vel est necessari a, & sic constituitur modus, Necessarium, vel est impossibilis, & constituitur modus, Impossibile, vel est contingens, & constituitur. Modus, Contingens, vel Possibile.

Secundo not. quod huiusmodi modi aliquãdo aduerbialiter sumũtur in propositione; vt, Necessariò, Impossibiliter, & Contingenter, siuè possibiliter. aliquando verò nominaliter: vt Necessarium est, Impossibile est, & Contingens, vel possibile est. Quibus omnibus correspondet suum signum quantitatiuum: nam modo; Necessarium, correspondet ly Omnis. Modo, Contingens, vel Possibile, ly Aliquis. Modo, Impossibile, ly Nullus. Aliquis verò non, correspondet modo possibile non, vel contingens non.

Tertio not. tria in propositione modali reperiri, modum, copulam, & dictum: quando tamen modus ponitur nominaliter. vt in hac propositione, possibile est Petrum currere. ly, possibile, est modus. copula verò; ly, est: hominem, tandem, currere est dictum. vt autem notetur oppositio, quam habent inter se hi modi ponitur subsequens figura.

Figura

Figura Oppositionum Modorum.



His positis possumus modalem propositionem sic diffinire faciliter. est oratio, cuius veritas, vel falsitas determinatur per vnum ex assignatis modis. Diuiditur communiter propositio modalis in modalem de sensu cõposito, & modalem de sensu diuiso. Modalem de sensu cõposito dicunt communiter esse illam, in qua modus ponitur, vel in principio, vel in fine dicti, vt possibile est album esse nigrum; vel album esse nigrum possibile est. Modalis verò de sensu diuiso communiter dicitur esse illa, in qua modus ponitur in medio dicti, vt album possibile est esse nigrum.

Cæterum meo videri parũ, vel nihil refert ad hoc, vt modalis dicatur esse in sensu composito, vel diuiso, quod modus ponatur in principio, vel in fine, vel in medio dicti, vbicumq; namq; ponatur modus poterit propositio in vtroq; sensu composito, & diuiso intelligi: siuè enim dicas, possibi-

le eſt reprobum ſaluari; ſiuè reprobum ſaluari poſſibile eſt: ſiuè reprobum poſſibile eſt ſaluari; ſemper bonus Theologus diſtinguet, negando in ſenſu compoſito, cōcedendo in ſenſu diuiſo: ergo modalem eſſe in ſenſu compoſito, & diuiſo non conſiſtit in eo, quod modus ponatur in principio, vel in medio, vel in fine: ſed in ſolo iudicio, & cōceptu formato de propoſitione aliqua, quæ ſecundū ſe vtriuſq; ſenſus capax eſſe poteſt; quare potius ad diſtinctionem ſenſus recurrendum eſt.

Et ideo tūc propoſitio modalis aliqua erit in ſenſu compoſito, quādo modus cadit ſupra vtrumq; extremum dicti ſimul, & in eodem tempore, ideſt quando determinat rationem formalem prædicati, & rationem formalem ſubiecti poſſe ſimul, & ſemel in aliquo reperiri. tunc verò erit in ſenſu diuiſo, quando modus taliter cadet ſupra dictum, vt nō ſimul, & ſemel, ſed ſucceſſiuè indicet rationem formalem prædicati, & rationem formalem ſubiecti poſſe in aliquo reperiri. ſit exemplum; Poſſibile eſt ridētem plorare: vel ridentem poſſibile eſt plorare: vel ridentem plorare poſſibile eſt. quælibet harum poterit eſſe in ſenſu diuiſo, & in ſenſu compoſito. tunc erit in ſenſu compoſito, quando ly, Poſſibile eſt, taliter accipiatur, vt determinet ſimul, & ſemel aliquem ridere, & plorare. tunc verò in ſenſu diuiſo; quando dictus modus taliter intelligatur in illa propoſitione, vt determinet, poſſe eum, qui modo ridet, poſtea plorare.

PVNCTVM DVODECIMVM
De Quantitate, & Qualitate, Veritate, & Falſitate Modalium.

ILlud in primis not. quod in propoſitione modali, præſertim compoſita, duplex quātitas poteſt attendi: prima eſt quantitas dicti, videlicet ſi dictum afficiatur ſigno vniuerſali, omnis, vt omnem hominem currere poſſibile

bile eſt; erit propoſitio vniuerſalis, quoad dictum: ſi ſigno particulari, aliquis, vt aliquem hominem currere poſſibile eſt: erit propoſitio particularis, quoad dictũ. Altera quantitas huius propoſitionis attenditur in modo: diximus enim ly Neceſſarium, eſſe modum vniuerſalem affirmatiuũ: cum denotet prædicatum conuenire ſubiecto pro omni tempore, vt Neceſſariũ eſt hominẽ eſſe animal. ly Impoſſibile, eſſe modum vniuerſalem negatiuũ, cum denotet prædicatũ nullo tempore conuenire ſubiecti, vt Impoſſibile eſt hominem eſſe leonem: Poſſibile verò, & Contingens eſſe modos particulares affirmatiuos; cum denotent prædicatũ aliquo tempore poſſe conuenire ſubiecto, vt poſſibile, vel contingens eſt, hominem currere. Tandem poſſibile non, & cõtingens non, diximus eſſe modos particulares negatiuos, cũ denotent prædicatum aliquo tempore non conuenire ſubiecto; vt contingens, vel poſſibile non eſt Petrum plorare. Vnde adinuenti ſunt illi verſus.

Omnis neceſſe valet, impoſsibile, nullus.
Poſsibile, quidam: quidam non, poſsibile non.

quãdo ergo in propoſitione modali ponitur Neceſſarium, vel Impoſſibile, dicetur vniuerſalis propoſitio, quoad modum; quando verò ponitur Poſſibile, vel Contingens, erit particularis, quoad modum.

Secũdo not. quod propoſitio modalis eſt duplex; alia eſt de dicto cõmuni: alia de dicto ſingulari. Modalis de dicto ſingulari eſt, quando ſubiectũ dicti eſt ſingulare, vt Petrum currere poſſibile eſt, &c. Modalis verò de dicto communi eſt, quando ſubiectum dicti eſt terminus communis, etiam ſi tali termino communi addatur ſignum aliquod ſiuè vniuerſale, ſiuè particulare, vt hominem currere poſſibile eſt; vel aliquem hominẽ currere, &c. vel omnem hominẽ, &c. Relicta ergo modali de dicto ſingulari, quæ ſolum, quoad quantitatem poteſt variari in modo, & nõ in dicto. Moda-

lis de dicto cõmuni poteſt quadrupliciter ſecũdum quantitatem variari. primo enim poteſt eſſe vniuerſalis ſecundũ dictum, & ſecundũ modum, vt omnem hominem eſſe riſibilem eſt neceſſe. ſecundo poteſt eſſe particularis ſecũdum dictum, & ſecundum modum; vt aliquem hominem currere eſt poſſibile. tertio poteſt eſſe particularis ſecundũ dictũ, & vniuerſalis ſecũdum modum, vt aliquem hominem ambulare neceſſe eſt. quarto poteſt eſſe vniuerſalis ſecundum modum, & particularis ſecundum dictum: vt omne hominem moueri eſt poſſibile.

Tertio not. quod idem Iudicium eſt de qualitate modalium, ac de quantitate (præſertim ſi loquamur de modalibus compoſitis) quadrupliciter enim poteſt variari ſecundum qualitatem: aut enim eſt affirmatiua ſecundũ dictum, & modum; vt Hominem eſſe animal, neceſſe eſt. aut negatiua ſecundum vtrumq;, vt Animal nõ moueri eſt impoſſibile: aut affirmatiua ſecundum dictum, & negatiua ſecundum modum: vt hominem eſſe leonem eſt impoſſibile, aut negatiua ſecundum dictum, & affirmatiua ſecundum modum, vt hominem non currere eſt poſſibile.

Quarto obſeruandum eſt, veritatem, vel falſitatem propoſitionis modalis, attẽdi penes ordinem ad materiã dicti, nempe, ſi dictũ eſt de materia neceſſaria: ad hoc vt vera ſit propoſitio modalis debet dicto neceſſario apponi modus, Neceſſarium, alias erit falſa. exempli gratia: hæc propoſitio modalis eſt vera; hominem animal eſſe, neceſſariũ eſt: quia modus, Neceſſarium, cadit ſupra dictum, quod eſt de materia neceſſaria: hæc autem falſa, hominem currere, neceſſarium eſt: ſiquidẽ modus non correſpondet materiæ dicti, quæ eſt contingens. & idem iudicium faciendum eſt de reliquis materijs, nimirum, quod quando dictum eſt de materia impoſſibili, erit vera propoſitio modalis, ſi apponatur modus, Impoſſibile: alias falſa: vt hominẽ eſſe leonem impoſſibile eſt: vera propoſito: at hæc, hominẽ eſſe leonem, neceſ-

necessarium est, vel contingens est, falsa. quādo dictum est de materia contingenti, erit vera propositio modalis, si apponatur modus, Cōtingens, vel, Possibile: vt cōtingens, vel possibile est hominem currere: alias erit falsa, vt si dicas, impossibile est, vel necessarium est, hominem currere.

PVNCTVM TERTIODECIMVM
De Æquipollentia, & Oppositione Modalium Propositionum.

Illud in primis obseruandum, quod antiqui Dialectici ad explicandā Æquipollentiam, & Oppositionē modalium propositionū quatuor adinuenere dictiones: AMABIMVS. EDENTVLI. ILIACE. PVRPVREA. vbi quatuor notantur vocales: A. E. I. V. quæ non connotant quantitatem propositionis, sed tantum qualitatem: cuilibet autem syllabæ harum dictionum correspondet sua modalis propositio secundum qualitatem vocalis illius syllabæ: nam vbi reperitur A. debet poni propositio affirmatiua quoad modum, & quoad dictum. vbi reperitur E. debet poni propositio negata de dicto, & affirmata de modo. vbi reperitur I. debet poni propositio affirmata de dicto, & negata de modo. & tandem vbi reperitur V. debet poni propositio negata de modo, & dicto. vis autem harum litterarum his versibus continetur.

Destruit V. totum: sed A. confirmat vtrumq;.
Destruit E. dictum: destruit Iq; modum.

Et quia quælibet ex superioribus dictionibus quatuor syllabas habet: quatuor (iuxta syllabarum numerum) cuilibet illarum propositiones respondent: ita tamen, quod semper prima propositio primæ syllabæ correspondens, cuiuslibet dictionis, debet esse de modo, Possibile. secunda de modo, Contingens. tertia de modo, Impossibile. quarta, & vltima

de modo, Necessarium. quæ ordinatæ, secundum debitam qualitatem à vocalibus requisitam erunt in vnaquaq; dictione æquipollentes. Et quia res difficilis est, sit exemplum in prima dictione.

Amabimus. iam suas quatuor continet syllabas, & vocales, & primæ syllabæ necessario debet respondere modalis de modo, possibile; & quia vocalis primæ syllabæ est. A. illa propositio debet esset affirmatiua, tam secundum modum, quam secundum dictum, vnde hæc propositio erit primæ huius dictionis syllabæ. Possibile est Petrum currere.

Secūdæ syllabæ cuiuslibet dictionis diximus correspondere modalem de modo contingens. & quia littera illius secundæ syllabæ est etiam. A. illa etiam secūda propositio debet esse affirmata, quoad modum, & dictum, quarè hæc erit secunda propositio istius dictionis. Contingens est Petrum currere.

Tertia syllaba petit modalem de modo, Impossibile; & quia vocalis illius syllabæ est. I. quæ affirmat dictū, & negat modum: ideo propositio correspondens illi debet esse de modo negata, & affirmata de dicto sic. Non est impossibile Petrum currere.

Quarta syllaba petit modalem de modo, Necessarium. & & quia vocalis illius vltimæ syllabæ est. V. quæ negat dictū, & modū; ideo propositio, quæ debet in illa vltima syllaba collocari debet esse negata de dicto, & de modo; sic, nō est necessarium Petrum non currere. Vbi inuenies omnes has quatuor propositiones istius dictionis esse inter se æquipollentes: & idem est de alijs reliquarum dictionum.

Item obserua quomodo debes cognoscere, in qua dictione, & in qua syllaba illius collocetur aliqua propositio modalis, quæ tibi fuerit obiecta: vt si tibi aliquis obijciat hanc modalem, necessarium est Petrum nō currere. primo debes modum obseruare, qui est, necessarium, qui modus semper correspondet vltimæ syllebæ cuiuslibet dictionis.


secundo

secundo obseruare debes quid affirmetur, quiduè negetur in illa, & cum inueneris in dicta propositione, Necessarium est Petrum nō currere, affirmari modum, & negari dictum, statim cōsule versiculos superiores de vi vocalium, & inuenies, quod destruit. E. dictum, & tūc obserua, quæ nam dictio sit illa, cuius vltima syllaba continet vocalē. E. & cum inueneris illam esse Iliace, scies obiectam propositionem esse vltimam de Iliace: & idem obseruandum est de reliquis modalibus.

Item obserua, quomodo propositiones, quæ fiunt in illis quatuor dictionibus opponantur inter se; quod clarius patebit in sequenti figura, vbi animaduertes, omnes propositiones, quæ fiunt in dictione, Purpurea, esse cōtrariè oppositas propositionibus, quæ fiunt in, Iliace; & propositiones, quæ fiunt in, Amabimus, subcōtrariè opponi illis, quæ fiunt in, Edentuli. Item propositiones de, Purpurea, cum propositionibus de, Edentuli, ex vna parte, & propositiones de, Iliace, cum his de, Amabimus, ex altera parte, opponi contradictoriè. Tandem propositiones de, Purpurea, cum his de Amabimus, ex vna parte: & ex altera propositiones de, Iliace, cum propositionibus de, Edentuli, esse subalternatè oppositas. vt in subsequenti figura.

Figura

Forma Modalium Oppositionis de dicto singulari.



In hac figura duo obseruanda sunt. primum est Modus oppositionis. secundum modus æquiualentiæ. Modus oppositionis modalium est ferè idem cum modo oppositionis propositionum absolutarum: sicut enim Absolutarum propositionum illæ dicuntur opponi contrariè, quæ sunt eiusdem quantitatis vniuersalis; diuersæ tamen qualitatis, quia vna est affirmans, altera negans: ità illæ propositiones modales dicuntur contrariæ, quæ côueniunt in quantitate vniuersali:

uersali: in qualitate tamē differunt. quarè diximus, has dictiones opponi Contrariè, Purpurea, & Iliace: quia in Purpurea reperitur propositio vniuersalis affirmans, nempè, necessarium est Petrum currere: & ly necessarium, idem valet, ac omnis: & in Iliace reperitur propositio vniuersalis negans, nimirum, Impossibile est Petrū currere: vbi ly Impossibile, idem valet, ac, nullus.

Et sicut diximus de Absolutis, illas esse subcontrariè oppositas, quæ conueniunt in particulari quantitate, & differunt in qualitate, prima namq; affirmans est, altera negans, vt aliquis homo currit, aliquis homo nō currit: ita illæ propositiones modales subcontrariæ, dicuntur, quæ sunt eiusdem quantitatis particularis, variant tamen qualitatē. quare diximus, Amabimus, & Edentuli subcontrariè opponi: quia in Amabimus reperitur propositio particularis affirmans; nempè, possibile est, vel contingens est Petrū currere: & in Edentuli reperitur particularis negans, nempè Possibile est, vel Contingens est Petrum non currere. vbi idem est Possibile, vel Contingens, ac aliquis, &c. sic etiam de reliquis speciebus oppositionis.

Ex dictis sequitur propositiones principales harum dictionum esse, videlicet dictionis Purpurea. Necessarium est Petrum currere. Dictionis Iliace. Impossibile est Petrū currere. Dictionis, Amabimus, Possibile est Petrum currere. & tandem dictionis Edentuli, Possibile est Petrum non currere. reliquas verò propositiones cuiuslibet dictionis esse suæ principali æquiualentes.

Quarè obserua secundo æquipollentiam, & primo propositionum primæ dictionis, nam Necessarium est Petrum currere, habet omnes alios modos, qui sibi arte mirabili æquipollent. nam habet propositiones, Possibile, & Contingens negatas de modo, & de dictō. & Impossibile, habet tantum de dicto negatam, de modo verò affirmatam. Principalis propositio de Iliace est; Impossibile est Petrum cur-

Q rere,


rere, hęc autem habet propositiones Possibile, & Cótingens negatas de modo, & affirmatas de dicto. Necessarium verò affirmatam de modo, & negatam de dicto.

Principalis propositio dictionis, Amabimus, est, Possibile est Petrum currere. hæc habet æquiualentes propositionem de modo, Cótingens, affirmatam de modo, & de dicto: de modo Impossibile, negatam de modo, & affirmatã de dicto. & tandem propositionem de modo Necessarium, negatam de modo, & dicto.

Demùm dictionis, Edentuli, pręcipua propositio est, Possibile est Petrum non currere. & hæc æquipollentes habet propositionem de modo, Cótingens, affirmatam de modo, & negatam de dicto. propositionem de modo Impossibile negatam de modo, & de dicto; & tandem propositionem de modo, Necessariũ, negatam de modo, & affirmatam de dicto. quæ omnia patent in figura. & sic communiter explicantur. Cęterum si hæc ad altam magni Aristotelis doctrinam cognoscerem necessaria, forsan has oppositiones, & æquipollentias aliter explicarem, aliterq; contra cómunem explicandi modũ sentirem vtiq; , idq; euidentibus demonstrationibus: verum quia hoc esset potius Discipulos thædio afficere, quam instruere, tempusq;, atramentum, & paginam frustra terere, ac consumere, cum certè parum plus nihilo, ni forte, nihilo minus tractatus hic ad principale nostrum conducit institutum: ideo superfluũ iudicaui longiorem de modalibus texere orationé. qui plura desiderat tum circa dicta, cum de modalibus diuisis, & de dicto communi, & tandem de conuersione ipsarum adeat Iauel. tract. 3. Tolet. in suis Institut. lib. 3. & alios recentiores. nos enim vtiliora petemus, & hactenus de hoc 2. lib.

Finis Secundi Libri.

LIBER TERTIVS PARVÆ LOGICÆ DE TERTIA Operatione Intellectus; scilicet de Discursu.



AM ad præcipuam Logicæ partem accedamus, quæ tertiam dirigit Intellectus operationem, & ad quam ordinantur ea omnia, de quibus in duobus precedētibus libris peregimus: hæc autem est Argumentatio, quæ Discursui subditur, ad quam componendam concurrunt subiecta, & prædicata, genera, & species, Differentiæ, & Accidentia primi libri: necnon termini, nomina, verba, propositionesq; secundi. Quarè de hac principalissima Logicæ parte, summeq; omnibus scientijs necessaria in præsenti vltimo nostræ paruæ Logicæ libro tractaturi; superflua parumq; vtilia, quæ ab alijs scriptoribus longioribus, quam par esset, verbis examinantur, sicut & il reliquis, vitans, nouitios perfectam de quacumque rè disputandi per omnes Argumentationis species artem docebimus: hoc enim solummodo omnium est summulistarum in his pertractandis summulis intentum.

PVNCTVM PRIMVM.
Quid, & Quotuplex sit Argumentatio?

ARgumētatio sic potest optimè diffiniri. Est Propositio hypotetica illatiua, in qua vnū ex altero infertur. vt Petrus currit: ergo mouetur. dicitur propositio hypotetica: quia cōstat ex tribus propositionibus simplicibus, vel adminus ex duabus (vt infra videbimus) dicitur (illatiua)

quia illæ propositiones simplices connectuntur media nota illatiua (ergo) vel igitur, dicitur tandem, in qua vnum ex alio colligitur: quia vltima propositio, quæ dicitur illatio, vel consequentia, vel consequens, vel conclusio semper infertur ex suo antecedenti, quod est omne illud, quod antecedit ipsam illationem, siuè duæ propositiones sint, siuè tantum vna: ex eo, namq;, quod Petrus currit, statim infertur, ergo mouetur.

Et notate, duo principaliter in qualibet argumentatione reperiri, materiam scilicet, & formam: materia argumentationis sunt ipsæ propositiones, ex quibus constat, quatenus pronunciatæ sunt: forma autem Argumeutationis est ipsum vinculum, ordo, & connexio vnius propositionis cum alia. sit exemplum omnis, qui currit mouetur: Petrus currit: ergo Petrus mouetur: hæ tres propositiones dicuntur materia argumentationis: connexio verò, ordo, & vinculum necessarium, quod reperitur inter illas, nempè ideo Petrū moueri, quia currit, impossibile namq; esset currere, & nō moueri: dicitur Argumentationis forma.

Hoc adnotato, potest primo diuidi argumentatio secundum materiam, in veram, & falsam: vera est, quæ constat ex propositionibus veris; vt Petrus est homo: ergo est animal. falsa, quæ constat ex propositionibus falsis. vt lapis est homo: ergo lapis est animal. vbi nota, quod bene potest dari vera argumentatio quoad materiam, quæ tamen sit illegitima, quoad formam. vt si dicerem: homo est animal: ergo canis latrat. vtiq; & hominem esse animal, verum est, & canem latrare: tamen nō bene sequitur ex eo, quod homo sit animal, quod canis latret.

Secundo diuiditur argumentatio secundum formam in legitimam, & vitiosam: legitima est, quando propositiones connectuntnr inter se vinculo necessario, etiam si ipsa propositionum materia sit falsa: vt omnis virtus est vitiosa: ergo omnis virtus est fugienda. legitima argumentatio est: rectè

enim

enim infertur ex eo, quod virtus sit vitiosa, eam esse fugiendam: cum omne vitiosum sit fugiendum: cæterū sunt falsæ propositiones. Vitiosa argumentatio est, quando propositiones non cōnectuntur inter se aliquo necessario vinculo, etiam si ipsæ quoad materiā sint verissimæ. vt Petrus est homo: ergo D. Pater Augustinus est Doctor Ecclesiæ: vtraque propositio est vera: tamen non sequitur ex eo, quod Petrus sit homo, D. Augustinum esse Doctorem Ecclesiæ. vitium ergo est in forma Argumentationis.

Sed præcipua Argumētationis in cōmuni diuisio est, qua diuiditur in Syllogismū, Enthimema, Inductionē, & Exemplum. sed antequam ad singularum Argumentationis specierum examinationem procedamus, adnotādæ sunt quædam leges, & præcepta bonæ Argumentationis.

Prima ergo lex est, quod in bona Argumētatione, quemadmodum ex antecedenti infertur cōsequens, ita ex opposito consequentis infertur oppositū antecedentis: vt Petrus est homo: ergo rationalis: leo non est rationalis: ergo non est homo.

Secūda lex sit, quod quicquid essentialiter cōuenit consequenti essentialiter etiam debet antecedenti cōuenire: vt Petrus est homo: ergo animal: sed animal essentialiter conuenit esse sensibile: ergo & Petro etiam essentialiter conuenit sensitiuum esse. Et quicquid repugnat consequenti, debet etiam antecedenti repugnare, vt Petrus est homo: ergo animal: sed animali repugnat esse lapidem: ergo id etiam repugnabit Petro.

Tertia lex est: ex antecedēti vero semper colligitur consequens verum: vt Franciscus est homo: ergo rationalis. ex antecedenti autem falso sequitur cōsequens aliquando verum: vt Franciscus est lapis: ego substantia: aliquādo etiam falsum: vt homo est canis: ergo latrat.

Quarta lex est, ex antecedenti necessario nō potest sequi nisi consequens necessarium: vt homo est animal: ergo sensiens.

fiens. ex antecedenti contingenti, poteſt ſequi conſequens contingens: vt Petrus currit: ergo mouetur: aliquando etiã neceſſarium: vt currit: ergo eſt animal. & etiam aliquando impoſſibile, vt paries eſt albus: ergo eſt nix. Ex antecedenti impoſſibili poteſt ſequi conſequens cõtingens: vt Petrus eſt nix: ergo eſt albus: aliquãdo neceſſarium: vt Petrus eſt leo: ergo animal: & aliquando impoſſibile: vt eſt Petrus leo: ergo rugit. & hæ leges ſunt ſummopere in qualibet argumentatione obſeruandæ.

PVNCTVM SECVNDVM
Quid ſit Syllogiſmus, & Quotuplex eius figura?

DE Syllogiſmo prima Argumẽtationis ſpecie iã agẽtes, de quo Ariſt. in lib. priorũ eius diffinitio præmittenda eſt, quæ quidem ſic cõmuniter aſſignatur. Syllogiſmus eſt Argumentatio, in qua quibuſdam poſitis, & conceſſis, neceſſario infertur concluſio, ideſt in qua ex vi maioris, & minoris propoſitionis fit neceſſaria veritas tertiæ propoſitionis, quæ dicitur Concluſio.

Vbi not. quod in Syllogiſmo reperiuntur tres propoſitiones, & tres termini connectentes ipſas propoſitiones, vt ordinatam cõnexionem ſeruent inter ſe. Prima propoſitio dicitur maior, eo quod ſit reliquarum principium. Secunda dicitur minor, eo quod contineatur ſub prima. Tertia dicitur Concluſio: quia concludit, & determinat reliquarũ veritatem. & hæc vltima: quando veræ ſunt duæ primæ, ſcilicet maior, & minor, quæ dicuntur præmiſſæ, & inter ſe debitũ ordinem ſeruant, inficiari minimè poteſt.

Termini etiam diſponentes Syllogiſmũ ſunt tres. Primus dicitur, maior extremitas. Secundus minor extremitas. Tertius medius terminus. Medius terminus eſt ille, qui reperitur bis in Syllogiſmo, ſemel nimirũ in maiori propoſitione, & ſemel in minori, ſed nõ ingreditur Concluſionem. Maior

extre-

extremitas est ille terminus, qui in maiori propositione reper tur simul cũ medio termino, & in conclusione cum minori extremitate: non tamen ingreditur minorem propositionem. Minor extremitas est ille terminus, qui reperitur in minori propositione simul cum medio, & in conclusione cum maiori extremitate: nõ tamen ingreditur maioré propositionem. sit ergo horum omnium exemplum.

Omne animal est sensiens.
Omnis homo est animal.
Ergo omnis homo est sensiens.

prima propositio dicitur maior. secunda minor. tertia conclusio. medius terminus est ly, Animal, quia reperitur, & in maiori propositione, & in minori: non autem in conclusione. Maior extremitas est ly, sensiens, quia reperitur in maiori propositione simul cum medio termino, & in cóclusione simul cum minori extremitate; quæ tandem minor extremitas est ly, Homo, quia reperitur in minori propositione simul cum medio, & in conclusione simul cum maiori extremitate.

At verò, quia syllogismi forma est quædam ordinata dispositio propositionum in figura, & modo; necesse est scire, quid, & quotuplex sit figura syllogismorum. figura ergo syllogismi est ordinata dispositio medij termini cum maiori, & minori extremitate. Pro quo not. quod tripliciter potest ordinari medius terminus in syllogismo cũ reliquis terminis. Primo; itaut in maiori propositione ponatur pro subiecto, & in minori pro prædicato: & per hanc primam medij ordinationem constituitur. prima figura syllogis. vt.

Bar- Omne animal est sensibile.
ba- Omnis leo est animal.
ra. Ergo omnis leo est sensibilis.

Secundo ordinari potest medius terminus, itàut ponatur in vtraq; pręmissa, nimirũ in maiori, & minori propositione pro prædicato: per quã ordinationẽ cõstituitur. secũda figura syllogis. vt.

Cæ-

Cæ- Nullus Canis est homo.
sa Omne rationale est homo.
re. Ergo nullum rationale est canis.

Tertio tandem potest medius terminus ordinari, itaut in vtraq; præmissa ponatur pro subiecto, nempè tam in maiori, quam in minori propositione, & per hanc vltimam ordinationem constituitur tertia figura, vt.

Da- Omne risibile est homo.
rap- Omne risibile est rationale.
ti. Ergo aliquod rationale est homo.

Triplex ergo est syllogismorum figura. prima in qua medius terminus subijcitur in maiori, & prædicatur in minori. Secũda in qua medius terminus prædicatur tam in maiori, quam in minori. Tertia in qua medius terminus subijcitur in maiori, & in minori. Quare Dialectici antiquiores illum versum composuere.

Sub. præ. prima. bis præ. secunda, tertia bis sub.

Idest; in prima figura medius ter. subijcitur, & prędicatur. in secunda bis prædicatur. in tertia bis sub jcitur.

Sub qualibet tamen harum figurarum continentur plures modi, quorũ diuersitas desumitur, ex variatione quantitatis, & qualitatis, vt videbimus in ipsis, qui his versibus solent numerari.

Barbara. Cęlarent. Darij. Ferio. Baralipton.
Cęlantes. Dabitis. Fapesmo. Frisesomorum.
Cęsare. Camestres. Festino. Barocho. Darapti.
Felapton. Disamis. Datisi. Brocardo. Ferison.

In qualibet harum decem, & nouem dictionum reperiuntur tres syllabæ, iuxta numerũ propositionũ syllogismi. in prima syllaba collocari debet maior propositio. in secunda minor. in tertia Conclusio. Et quia Baralipton, & Frisesomorum habẽt plures syllabas tribus requisitis ob Carminum compositionẽ, desumendæ tantum sunt tres priores, ommit-

ommittendo reliquas, itaut prima dicat Baralip. secunda Frisesom.

In qualibet etiã cuiuslibet modi syllaba reperitur aliqua ex illis quatuor vocalibus, nempè A. E. I. O. quarum prima, nempè A. petit propositionem sibi respondentem vniuersalem affirmatiuam. E. vniuersalem negatiua. I. particularem affirmatiuam. O. tandem particularem negatiuã iuxta dicta lib 2. pun. 10.

Illud tandem obseruandum, sciendumq; est; horum modorum, aliquos concludere directè; aliquos verò indirectè. Directè cõcludere nihil aliud est, quam quod in conclusione, quæ est tertia syllogismi propositio; terminus, qui dicitur minor extremitas sit subiectum, & terminus ille, qui dicitur maior extremitas sit prædicatum. Indirectè verò concludere est è contra, scilicet, quod maior extremitas in conclusione sit subiectũ, & minor extremitas prædicatũ exemplum vtriusq; sit.

Omnis homo est animal.
Omne rationale est homo.
Ergo omne rationale est animal.

ibi nota quomodo directè concludat, siquidem ly rationale, quod est minor extremitas, ponitur pro subiecto in conclusione. & ly animal, quod est maior extremitas, pro prædicato. si verò hæc conclusio conuertatur, erit indirecta sic. ergo aliquod animal est rationale. modos directè, & indirectè concludentes, videbimus in sequentibus.

PVNCTVM TERTIVM
De Diuisione Modorum per suas figuras.

SVpranumerati decem, & nouem modi diuidũtur per illas tres figuras; itaut primi nouem, nempè. Barbara. Cælarent. Darij. Ferio. Baralip. Cælantes. Dabitis. Fapesmo. Frisesom. pertineant ad primam figuram, in qua

R medius

medius terminus subijcitur in maiori, & prædicatur in minori. Quatuor sequẽtes, videlicet Cæsare. Camestres. Festino. Barocho. ad secũdam, in qua medius terminus bis prædicatur, in maiori, scilicet, & in minori. Reliqui tandẽ sex, nimirum. Darapti. Felapton, Disamis. Datiũ. Brocardo, Ferison. ad tertiam, in qua medius terminus est subiectũm in vtraq; præmissa, in maiori, scilicet, & in minori.

Ex modis autem primæ figuræ, Aduertite, priores quatuor concludere directè, scilicet Barbara. Cælarent. Darij. Ferio. reliquos verò quinq; indirectè.

Exercitium autem horum modorũ est, huiusmodi. Barbara constat ex suis tribus syllabis: cumq; in qualibet illarũ reperiatur eadem vocalis, nempè. A. quæ denotat vniuersalem affirmatiuam, ideò omnes propositiones syllogismi, qui fit in hoc modo, debent esse affirmatiuæ.

Cælarent, constat ex prima vniuersali negatiua, qualis est vocalis, E, ex secunda vniuersali affirmatiua, A, & ex tertia pariter vniuersali negatiua, E.

Darij, cõstat ex prima vniuersali affirmatiua, A, & ex duabus sequẽtibus particularibus affirmatiuis: cum in secunda, & tertia syllaba collocetur eadem vocalis I.

Ferio, cõstat ex prima vniuersali negatiua, E, ex secunda particulari affirmatiua. I. & tandem ex tertia particulari negatiua. O. qui quatuor modi dicuntur perfecti, siquidẽ syllogismi, qui fiunt in illis innituntur duobus illis principijs naturalibus, quæ nequeũt negari, qualia sunt, Dici de omni, & Dici de nullo; Dici de omni est, quando aliquod conuenit vniuersaliter alicui subiecto, necessario debet etiã conuenire, & his, quibus conuenit tale subiectum, vt esse viuens conuenit omni animali, cum omne animal viuens sit: debet etiam conuenire omnibus, & singulis ipsius animalis speciebus, & sic ideo viuens est, & homo, & canis, &c. in hoc primo principio fundantur syllogismi, qui fiunt in Barbara, & in Darij; vt omne animal est viuens. Omnis homo est animal:

ergo

ergo omnis homo est viuens. ideò enim esse viuens homini cõuenit: quia conuenit animali, sub quo genere continetur homo, vel in Darij mutãdo duas vltimas propositiones vniuersales in particulares, sic. omne animal est viuens; Franciscus est animal: ergo viuens, & erit eadem ratio inferendi.

Dici de nullo est, quando aliquid vniuersaliter repugnat alicui subiecto; debet etiam necessario repugnare his omnibus, quibus tale subiectũ conuenit: vt quia esse vitium omni virtuti repugnat, necessario repugnabit omnibus, & singulis virtutis speciebus, & sic nec iustitia vitium erit, nec liberalitas, nec fortitudo, &c. quæ virtutes sunt, & in hoc secundo principio fundantur syllogismi, qui fiunt in Cælarent, & in Ferio, vt nulla virtus est vitium. omnis iustitia virtus est: ergo nulla iustitia est vitium, vel in Ferio mutando quantitates duarum vltimarum propositionum, sic: nulla virtus est vitium. Regis nostri iustitia est virtus: ergo non vitium. ideò enim esse vitiũ iustitiæ repugnat: quia repugnat virtuti, sub qua, tanquam sub genere iustitia continetur. Hi ergo sunt quatuor modi directi, ad quos reliqui omnes, vt eorum vis in cludendo, & robur magis innotescat, reducuntur, qui sic formandi sunt.

Bar.	Omne viuens est substantia.
ba.	Omne sensibile est viuens.
ra.	Ergo Omne sensibile est substantia.
Cæ.	Nullum latrabile est rugibile.
la.	Omnis canis est latrabilis.
rent.	Ergo nullus canis rugibilis est.
Da.	Omne vitium est fugiendum.
ri.	Aliquis ludus est vitium.
j.	Ergo aliquis ludus est fugiendus.

Fe.	Nullum album eſt nigrum.
ri.	Aliqua columba eſt alba.
o.	Ergo aliqua columba non eſt nigra.

Hi ſunt quatuor modi directè cõcludentes, cõcluduntq; omni modo concludibili: vel enim ſyllogiſmus aliquis vniuerſaliter affirmatiuè concludere poteſt, & ſic concluditur in Barbara. vel vniuerſaliter negatiuè, & ſic concluditur in Cælarent. vel particulariter affirmatiuè, & ſic concluditur in Darij. vel tandem particulariter negatiuè, & ſic in Ferio.

Modi indirectè concludentes huius primæ figuræ ſunt quinq;, nempè, Baralip. Cælantes. Dabitis. Fapeſmo. Frieſom. ponunturq; ſic in exercitium.

Baralip. conſtat ex duplici priori vniuerſali affirmatiua; & ex vltima particulari affirmatiua. Cælantes. cõſtat ex tribus vniuerſalibus, quarum prima, & vltima negatiuæ ſunt, ſecũda verò affirmatiua. Dabitis ex tribus affirmatiuis conſtat: tamen prima vniuerſalis eſt, reliquæ duæ particulares. Fapeſmo conſtat ex prima vniuerſali affirmatiua, ex ſecunda vniuerſali negatiua, & tertia tandem particulari negatiua. Frifeſom. ex prima particulari affirmatiua; ſecunda vniuerſali negatiua, & tertia particulari negatiua, debentq; ſic efformari.

Ba.	Omnis planta eſt viuens.
ra.	Omnis platanus eſt planta.
lip.	Ergo aliquod viuens eſt platanus.

Cæ.	Nullum riſibile eſt rudibile.
lan.	Omnis homo eſt riſibilis.
tes.	Ergo nullum rudibile eſt homo.

Da.	Omnis albedo eſt diſgregatiua viſus.
bi.	Aliquis color eſt albedo.
tis.	Ergo aliquod diſgregatiuum viſus eſt color.

Fa.

Fa. Omnis bos est mugibilis.
pes. Nullum vlulans est bos.
mo. Ergo aliquod mugibile non est vlulans.

Fri. Aliquod elementum est leue.
se. Nullum viuens est elementum.
som. Ego aliquod leue non est viuens.

Hi autem quinq; modi indirectè concludentes non sun in vsu hisce temporibus. quare quatuor priorū directè concludentium duæ sunt peculiares leges obseruandæ, ob quarum defectū potest aliquis syllogismus vitiosus esse. Prima lex sit, quod maior propositio semper sit vniuersalis. male namque concluderemus sic: aliquod animal est rationale. omnis æquus est animal: ergo omnis æquus est rationalis. Secunda lex, quod minor semper sit affirmatiua: ob cuius defectum hic syllogismus male cōcludit. Omnis leo est animal. nullus homo est leo: ergo nullus homo est animal. quæ leges non conueniunt modis indirectè cōcludentibus: nam Frisesom. & maiorem propositionem habet particularem, & minorem negatiuam, & Fapesmo: habet etiam minorem negatiuam.

Modi pertinentes ad secundam figuram sunt quatuor, videlicet, Cæsare, Camestres, Festino, Barocho, in quibus medius terminus debet in vtraq; pręmissa esse prædicatum, sicq; efformandi sunt in illis syllogismi.

Cæ. Nullum volatile est quadrupes.
sa. Omnis leo est quadrupes.
re. Ergo nullus leo est volatilis.

Ca. Omne elementum est simplex.
mes. Nullum compositum est simplex.
tres. Ergo nullum compositum est elementum.

Fes.

Fes. Nullum violentum est durabile.
ti. Beatitudo est durabilis.
no. Ergo non est violenta.

Ba. Omnis color est accidens.
ro. Aliqua substantia non est accidens.
cho. Ergo aliqua substantia non est color.

Duæ etiam sunt in modis huius secūdæ figuræ obseruandæ leges: prima quod præmissæ non sint ambæ affirmatiuæ. quarè vitiosus est hic syllogismus: Omnis leo est animal: omnis homo est animal: ergo omnis homo est leo.

Secunda lex est, quod maior propositio non sit particularis. quarè peccat hic syllogismus. Aliquod animal est quadrupes: nullus homo est quadrupes: ergo aliquis homo nō est animal.

Modi pertinentes ad tertiam figuram sunt reliqui sex, videlicet, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison, in quibus medius terminus debet esse subiectū in vtraq; præmissa, debentq; in illis syllogismi sic efformari.

Da. Omnis ignis est sursum tendens.
rap. Omnis ignis est leuis.
ti. Ergo aliquod leue est sursum tendens.

Fe. Nullum hinnibile est sibilans.
lap. Omne hinnibile est æquus.
ton. Ergo aliquis æquus non est sibilans.

Di. Aliqua planta est viridis.
sa. Omnis planta est viuens.
mis. Ergo aliquod viuens est viride.

Da. Omnis habitus est qualitas.
ti. Aliquis habitus est scientia.
si. Ergo aliqua scientia est qualitas.

Bro-

Bro. Aliquod Genus non eſt ſpecies.
car. Omne genus eſt prædicabile.
do. Ergo aliquod prædicabile non eſt ſpecies.

Fe. Nullum quieſcens mouetur.
ri. Aliquod quieſcens eſt dormiens.
ſon. Ergo aliquis dormiens non mouetur.

Duæ etiam ſunt leges modorum huius tertiæ figuræ. prima eſt, quod minor nunquã ſit negatiua: cõtra hanc regulã peccat hic ſyllogiſmus. Omne ſenſibile eſt animal: aliquod ſenſibile non eſt homo: ergo aliquis homo non eſt animal.

Secunda lex, quod nunquã cõcluſio ſit vniuerſalis. contra hãc peccat hic ſyllogiſmus. Omne riſibile eſt rationale: omne riſibile eſt animal: ergo omne animal eſt rationale.

Sed vltra has leges peculiares cuiuſcumq; figuræ, adnotandę ſunt quędam leges vniuerſales omnibus figuris communes. Prima eſt: in quacumq; figura, vna adminus ex præmiſſis debet eſſe vniuerſalis: quia ex puris particularibus ex vi formæ nil colligitur: quare vitioſus eſt hic ſyllogiſmus in prima figura: aliquod animal eſt leo, aliquis homo eſt animal, ergo aliquis homo eſt leo: & hic in ſecunda: aliquod quadrupes eſt animal: aliquis homo eſt animal: ergo aliquis homo eſt quadrupes. Et hic in tertia: aliquod accidens eſt albedo: aliquod accidens eſt nigredo: ergo aliqua nigredo albedo eſt.

Secunda lex, quod ſaltem vna ex præmiſſis ſit affirmatiua: quia ex puris negatiuis nihil ſequitur: exemplum in prima figura: nullus lapis eſt ſenſitiuus: nullũ animal eſt lapis: ergo nullum animal eſt ſenſitiuum. in ſecunda: nullum animal eſt planta: nullus homo eſt plãta: ergo nullus homo eſt animal: in tertia: nullum rationale eſt brutum: nullũ rationale eſt leo: ergo nullus leo eſt brutum animal.

Tertia lex, quod Concluſio ſemper ſequatur debiliorem partem: itaut, ſi aliqua ex præmiſſis fuerit negatiua, vel particu-

ticularis, conclusio necessario sit negatiua, vel particularis: quia negatio debilior est affirmatione: & particularitas debilior etiã est vniuersalitate. quarè erunt hi syllogismi falsi. omnis homo est risibilis; aliquod bipes est homo: ergo omne bipes est risibile. &, Nullus homo est lapis: omne risibile est homo: ergo omne risibile est lapis. huiusmodi namque conclusiones nõ sequuntur debiliorem partem, cum prima debeat esse particularis, siquidem minor illius syllogismi est particularis. secunda verò debeat esse negatiua, cum maior secundi syllogismi sit negatiua.

Quarta lex, quod medius terminus eodem modo, & pro eodem significato vsurpetur in vtraq; præmissa. quarè deficit hic syllogismus, omnis canis est animal latrabile; quodã sydus cæleste est canis: ergo quodam sydus cæleste est animal latrabile: variatur hic suppositio medij termini: nam in maiori propositione supponitur ly canis vniuocè, pro ea specie animalium terrestrium, quæ canis dicitur, at verò in minori supponitur æquiuocè.

Sed nota Galenum adinuenisse aliam figuram syllogisticam, scilicet in qua medius terminus sit prædicatum in maiori, & subiectũ in minori. vt omne risibile est homo: omnis homo est rationalis: ergo omne rationale est risibile. Caterũ hæc figura certè superflua est, & inutilis, præterquã quod facilè ruit: deficit enim quasi semper, vt in hoc syllogismo: omnis homo est animal: omne animal est substantia. ergo omnis substantia est homo. quarè ommittenda omninò est.

PVNCTVM QVARTVM
De Regulis inueniendi medium terminum ad concludendum in quocumq; modo.

VT in omnibus modis cuiuscumq; figuræ valeas optime cõcludere, necessè est artem inueniendi congruum medium terminum calleas. eam autem per-

fectè habebis,si sequẽtes regulas faciles prę oculis habueris.

Prima regula sit. ad bene concludendum in duobus modis directè concludentibus, & affirmatiuè in prima figura, quales sunt Barbara, & Darij, assumere debes pro medio termino terminũ illum, qui subiecto cõclusionis probandæ conueniat, & nõ repugnet esse subiectũ prædicati eiusdem cõclusionis,v.g. est tibi probanda hæc proposito : ergo omnis homo est substantia; debes assumere pro medio, terminum, qui conueniat homini,qui est subiectum istius propositionis: & cui non repugnet esse subiectum substantiæ,quæ est prædicatum eiusdem propositionis: quarè congruũ medium poterit esse vel animal, vel sensitiuũ, vel rationale, vel risibile, vel viuens, vel corpus, &c. quæ omnia conueniunt homini, & possunt esse subiecta respectu substãtiæ: vnde sic conficies syllogismum in Barbara.omne corpus est substantia: omnis homo est corpus: ergo substãtia, vel etiã in Darij, mutatis duabus propositionibus vltimis vniuersalibus in particulares.

Secunda regula ad bene concludendum in reliquis duobus modis eiusdem primæ figuræ directè cõcludentibus, & negatiuè, quales sunt Cælarent, & Ferio, debes pro medio assumere terminum,qui cõueniat subiecto,& repugnet esse subiectum prędicati cõclusionis probandæ,v.g.est tibi probanda hæc propositio. nullũ rationale est leo. assumere debes pro medio vel risibile, vel hominẽ, &c. quæ cõueniunt rationali, quod est subiectũ, & repugnant esse subiecta leonis, qui est prædicatũ.& sic conficies argumẽtum:nullũ risibile est leo: omne rationale risibile est: ergo nullũ rationale est leo. in Cælarent. sic etiam in Ferio mutatis mutandis.

Tertia regula sit. ad bene cõcludendum in Cæsare,& Festino secũdæ figuræ, assumere debes pro medio, terminum, qui subiecto conueniat, & prædicato repugnet, v.g. est tibi probãda hæc propositio:nullum latrabile est mugibile: vel aliquod latrabile non est mugibile,in prędictis duobus mo-

dis, assumere debes pro medio terminum, qui latrabili conueniat, & mugibili repugnet, qualis est canis. & sic conficies syllogismum: nullum mugibile est canis: omne latrabile est canis: ergo nullum latrabile est mugibile: vel aliquod latrabile est canis: ergo aliquod latrabile non est mugibile in Festino.

Quarta regula: ad bene cōcludendum in reliquis duobus modis eiusdem secūdæ figuræ: nempè in Camestres, & Barocho; debes pro medio assumere terminum, qui repugnet subiecto, & prædicato conueniat, v.g. est tibi probanda in prædictis modis hæc proposito: ergo nullum compositum est elementum: vel aliquod cōpositum non est elementum, assumere potes pro medio, simplex, quod composito repugnat, quod est subiectum, & elemento conueniat, quod est prædicatum. sicq; conficies syllogismum, omne elemētum est simplex: nullum compositum est simplex: vel aliquod compositum non est simplex: ergo nullum compositum est elementum: vel aliquod compositum non est elementum.

Quinta regula: ad bene concludendum in tribus modis affirmatiuè concludentibus in tertia figura; nempè, in Darapti, Disamis, & Datisi: debes pro medio assumere terminum, qui non repugnet esse subiectum tam subiecti, quam prædicati cōclusionis probandæ, v.g. est tibi probanda hæc conclusio: ergo aliquod animal est sensiens. potes pro medio assumere hominem, vel rationale, vel risibile, vel leonē, vel canem, &c. quæ omnia possunt esse subiecta, tam animalis, quam sentientis. sicque efficies syllogismum: omnis leo est sensiens: omnis leo est animal: ergo aliquod animal est sensiens; in Darapti. sic etiam in Disamis, & Datisi, mutatis mutandis.

Vltima regula; ad bene concludendum in reliquis tribus modis negatiuè cōcludentibus in eadem tertia figura, nempè in Felapton, Brocardo, & Ferison: debes pro medio assumere terminum, qui possit subiecto subijci: & repugnet esse

sub-

subiectum prædicati cóclusionis probandæ, v.g. est tibi probanda hæc conclusio: ergo aliquod risibile non est æquus. debes assumere pro medio, vel Hominē, vel rationale, &c. quæ possunt esse subiectum risibilis, non autem æqui. sicq; conficies syllogismum: nullus homo est æquus: omnis homo est risibilis: ergo aliquod risibile non est æquus. in Felapton. sic etiam in Brocardo, & Ferison, mutatis mutandis. & hæc de modo inueniendi medium dicta sufficiant.

PVNCTVM QVINTVM
De Triplici Specie Syllogismorum.

SYllogismus ergo triplex est, Demonstratiuus, seù scientificus, Topicus, seù probabilis, & Elenchus, seù fallax, & Sophisticus. Syllogismus demonstratiuus est argumentatio ex necessarijs præmissis conflata euidentem rei scientiam demonstrans. tunc dicitur propositio necessaria, quando prædicatum, vel est essentia, vel propria passio subiecti, vt canis est animal. homo est rationalis: leo est rugibilis. cū ergo ex præmissis necessarijs in debita forma dispositis aliquid infertur, inficiari quippè minimè poterit; vt omne frigidum potest frigefacere: sed omnis nix est frigida: ergo omnis nix potest frigefacere.

Duplex autem est Demonstratiuus, siuè scientificus syllogismus; à priori, qui dicitur propter quid; & à posteriori, qui dicitur quia. à priori est, quādo effectus aliquis per propriā causam probatur, vt si quis demonstret hominis risibilitatē ex rationalitate, ex qua risibilitas dimanat, sic: omne rationale est risibile: sed omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis: à posteriori est è contra: quando scilicet causa demōstratur per effectum, vt siquis demostret hominis rationalitatem ex risibilitate, sic: omne risibile est rationale: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis: vel siquis demonstret, ideo aliquid esse calefactiuum,

quia calefacit: sic: omne calefaciens calefactiuú est, sed omnis ignis est calefaciens: ergo calefactiuus. Verum non est adeo efficax: hic syllogismus à posteriori, sicut à priori, qui propriè dicitur faciens scire, cũ sit per causam: & scire propriè est rem per propriam causam cognoscere.

Syllogismus Topicus, siuè probabilis, qui etiam dicitur Dialecticus, est argumentatio, in qua colligitur aliqua propositio probabilis ex præmissis probabilibus: siuè vtraq; sit probabilis; siuè altera probabilis; altera verò necessaria: sũt enim multę propositiones, de quibus non potest haberi euidentia: sed tantum probabilitas quædam, vt sunt nonnulla problemata diuersorũ opinionibus exposita, vt quod logica sit scientia, vel ars: speculatiua, vel practica: quod eius subiectum sit triplex operatio, siuè syllogismus, siuè ens rationis, &c. quæ cum non possint ex præmissis necessarijs, & demonstratiuè colligi; colliguntur probabiliter ex probabilibus præmissis, vel ex authoritate, vel ex quocumq; alio non necessario principio.

Syllogismus Sophisticus est argumẽtatio cõstans ex præmissis apparentibus, quæ videntur veræ, vel probabiles, & tamen non sunt, cuius finis est fallacia. sit exemplum: omnis thaurus habet cornua: aliquis mons dicitur thaurus: ergo aliquis mons habet cornua. & huiusmodi sunt omnes syllogismi, qui nõ obseruant leges superius à nobis traditas. De fallancijs syllogismorum multa essent dicenda: tamen breuiter ad illas cognoscendas.

Aduertite huiusmodi fallacias, seũ sophismata posse esse in materia, & in forma: in forma vtiq; quoties syllogisticæ formæ regulas nõ obseruat argumentũ; tum etiam quando in præmissis non ponitur idem medius terminus, sed vel aliquid additur, vel aliquid tollitur: sit exemplũ; nulla columba est maior Aquila: omnis struthio est maior colũba: ergo nullus struthio est maior Aquila. in quo syllogismo non est idem medius terminus: nam in maiori propositione est co-

lumba:

lumba: in minori verò additur ly maior. sic etiam, omnis homo iustus est Deo amabilis: omne risibile est homo: ergo omne risibile est Deo amabile. vbi ponitur pro medio in maiori, homo iustus, in minori verò ponitur tantũ homo.

Potest etiam syllogisticæ formæ fallacia consistere in aliqua negationum varietate in præmissis contenta, quæ Respondentis solet aliquando mentem confundere: explicanturq; huiuscemodi negationes per ly differt, distat, discrepat, &c. vt si aliquis dicat: nullum rationale differt à risibili: omnis bos differt à rationali: ergo nullus bos differt à risibili. vt autẽ huius syllogismi fallacia innotescat, statim sunt resoluendæ propositiones per copulam, est, & participium sic. Nullum rationale est differens à risibili: sed omnis bos est differens à rationali: ergo nullus bos est differens à risibili. vbi manifeste Respondens cognoscet, quod in maiori propositione medius terminus est ly rationale: in minori verò additur ly differens, quod est pars maioris extremitatis.

Ratione materiæ syllogisticæ potest etiam dupliciter Sophisma contingere, vel in dictione, idest in voce, seù in oratione vocali, vel extra dictionem, idest in rè significata per vocem. In dictione ferè sex possunt esse Sophismata, vel per Homonimiam, siuè æquiuocationem, vel per Amphibologiam, seù dubiam sententiam, vel per Compositionem, vel per Diuisionem, vel per accentum, vel tandem per figuram dictionis.

Fallacia æquiuocationis est quando ponitur aliqua vox æquiuoca in syllogismo, & in vna ex præmissis vsurpatur in vna significatione: in altera verò propositione vsurpatur in altero significato, vt omnis canis latrat; quodam cęleste sydus est canis: ego sydus latrat: ly canis vox est æquiuoca, & in maiori propositione vsurpatur pro animali latrabili, in minori verò pro cane cælesti. sic etiam est de nomine analogo: vt omne sanum viuit: medicina est sana: ergo medicina viuit.

Falla-

Fallacia Amphibologiæ est quando cótingit ambiguitas sermonis. vt quicquid Bruni est à Bruno possidetur: hæc logica Bruni est: ergo à Bruno possidetur. &, qui arat littus scindit arenam: qui docet indocilem arat littus: ergo qui docet indocilem scindit arenam. en sensus ambiguitas, & variatio.

Fallacia compositionis est quando voces sumuntur copulatim, quæ diuisim erant accipiendæ, vt Franciscus est vir pessimus, & logicus: ergo est pessimus logicus.

Fallacia Diuisionis est quando voces sumuntur diuisim, quæ coniunctim erant, accipiendæ, vt qui scit rectè argumentari est bonus logicus: tu scis rectè argumentari: ergo es bonus, & logicus. in maiori namque propositione ly bonus logicus coniunctim ponitur: in conclusione verò diuisim. sic etiam. Duo, & tres sunt quinq;: ergo quinarius est duo, vel est tres.

Fallacia accentus est, quando eadé vox, quæ breuis prolata rem vnam significat: longa auté aliam, in vna præmissa ponitur longa, in altera breuis; vt is occidit, qui aliú interficit: sed sol occidit: ergo sol aliqué interficit. vbi in maiori ly occidit pronunciatur cum accentu in penultima syllaba, & significat alicui necem inferre: in minori verò pronunciatur cum accentu, in prima syllaba, & significat ad occasum peruenire.

Fallacia tandé figuræ dictionis est, quando ijs, quæ eandem habét terminationem, eandem etiam tribuimus significationem, vt si ex eo, quod pater, quater, & frater eodem modo definant, idem significare quis contennat.

Extra dictionem verò septuplex potest fallacia reperiri. Prima dicitur Accidentis, & tunc est, quando tribuitur accidéti, quod subiecto cóuenit: vel tribuitur subiecto, quod conuenit accidenti: vel negatur subiecto, quod accidenti negatur; vel accidenti negatur, quod subiecto repugnat. exemplum primi: paries est albus: sed paries est substantia: ergo

ergo albedo est substãtia .exemplũ secundi: paries est albus: sed albedo est accidens: ergo paries est accidẽs. exemplum tertij: sed albedini repugnat esse subiectum: ergo, & parieti repugnabit esse subiectã. exemplũ quarti: sed parieti repugnat esse accidens: ergo albedini repugnat accidens esse.

Secunda fallacia esse potest à dicto secundũ quid ad dictum simpliciter: & tunc est quando argumẽtamur à conuenientia partis ad cõuenientiã totius, & è contra, vt Ethiops est albus secundũ barbam, & dentes: ergo Ethiops est albus: vel Ethiops non est niger secundũ dentes: ergo Ethiops nõ est niger. sic etiam quando colligimus aliquid semper conuenire, vel non conuenire ex eo, quod semel conuenit, vel non conuenit. vt in die Ieiunij non licet Paschalia comedere: ergo numquã licet Paschalia comedere. vel licet die Veneris comedere carnes, si eo die fuerit Natiuitas Domini: ergo licet per totum annũ die veneris carnes comedere. vel post prandium non licet sacra facere: ergo numquam sacra facere licet, & alia huiusmodi.

Tertia fallacia dicitur ignorãtia Elenchi, & tũc est, quando per syllogismũ infertur quasi contradictoria propositionis concessę, cum tamen contradictoria minimè sit: nihilominus Respondens putat se esse conclusum, existimans propositionem illam esse cõtradictoriam. vt, passer, quia habet alas, volat: sed non volat sicut Aquila: ergo passer volat, & non volat. & Cæli mouẽtur motu circulari: sed nõ mouentur motu recto: ergo mouentur, & non mouentur.

Quarta fallacia dicitur petitio principij, & tũc est, quando sumitur, vt concessum id, quod erat probandum. v. g. est probanda hæc propositio: ergo logica nõ est scientia: sophista conficit hunc syllogismum. modus sciendi non est scientia: sed logica est modus sciendi: ergo logica non est scientia. Respondens negat minorẽ. arguẽs verò assumit ad probandam minorem propositionem illam, quæ principaliter erat probanda, nempè, logica non est scientia: ergo modus

scien-

sciendi. hæc dicitur petitio principijs. sic etiam quãdo sumitur pro medio aliquod synonimum eiusdem rei probandæ, tribuens synonimo, quod fuerit ipsi rei, cuius est synonimũ, negatum; vt si alicui negata fuerit hęc propositio, nimirum, quod vestis sit substantia: & ipse iterum assumat pro medio, indumentum, sic, omne indumentum est substantia: omnis vestis est indumentum: ergo substantia.

Quinta fallacia est nõ causam pro causa reddere, & tunc est, quando sophista falsitatem conclusionis nititur tribuere non causæ, idest nõ illi propositioni, quæ causa est illius falsitatis: sed propositioni veræ, quæ falsitatis causa non est, vt omne viuens est animal: omnis planta est viuens: ergo omnis planta est animal. causa falsitatis conclusionis est maior propositio: falsum enim est omne viuens esse animal. velle autem contendere falsitatis illius conclusionis causam esse minorem propositionem, quæ vera est. dicitur non causam pro causa reddere.

Sexta fallacia est, cõsequentis, & tunc est, quando ex consequẽti vult sophista inferre antecedens, vt postea deducat consequens aliud falsum, hoc pacto, vt albedo est? ergo color est: sed nigredo non est albedo: ergo nigredo non est color. Et Petrus currit? ergo mouetur. sed quando per plateam deambulat non currit: ergo quando deambulat non mouetur.

Vltima fallacia est plures simul interrogationes, vt vnam proponere, & tunc est; quãdo sophista plura simul à respondente petit, eaque opposita, siuè disparata, vultq; vnica responsione sibi satisfaciat, quod impossibile est: vt si quis petat, rugibile, & risibile est animal rationale, vel nè? si enim quis respondeat, vtiq; animal rationale esse: statim sophista inferet: ergo leo est animal rationale. si animal rationale esse respondeat, inferet ergo homo animal rationale nõ est, & hæc de fallacijs.

PVN-

PVNCTVM SEXTVM.

De Reductione modorum imperfectorum ad quatuor perfectos.

IAM diximus, quatuor primos modos primæ figuræ nimirũ, Barbara, Cælarent, Darij, Ferio, perfectos esse, & ad eos reduci reliquos omnes, qui imperfecti dicuntur. Reductio autem nil aliud est, quam probatio bonitatis consequentiæ modi imperfecti per modum perfectum, vt si quis putans, existentibus veris præmissis syllogismi imperfecti, non esse bonam consequentiã, eam negauerit, vt eius veritas sit manifesta debet arguens dictum syllogismum ad vnũ ex quatuor illis modis reducere, in quibus consequentis bonitas magis patet.

Sed hæc Reductio duplex est: altera dicitur ostensiua, altera cogens ad impossibile. Ostensiua tunc est, cum modus imperfectus reducitur ad perfectum per aliquam cõuersionem, vel transmutationem præmissarum, & sic fære omnes modi imperfecti reducũtur ad perfectos. Reductio cogens ad impossibile est, quãdo cogitur aduersarius, ex cõtradictorio conclusionis cum aliqua præmissa inferre cõtradictorium alterius præmissæ. Exemplũ primæ reductionis; si fiat syllogismus in in Cęsare: sic; nullus leo est risibilis: omnis homo est risibilis: ergo nullus homo est leo: debet ad Cælarẽt reduci Reductione ostensiua simpliciter, conuertendo tantum maiorem illam propositionẽ, idest, itaut maneat eadẽ quantitas, eadem qualitas, eademq; propositionis veritas, mutato tantum prædicato in subiectum, & subiecto in prædicatum, sic: nullum risibile est leo: omnis homo est risibilis: ergo nullus homo est leo.

Exemplum secũdæ reductionis, si fiat syllogismus in Barocho sic: omne rugibile est leo: aliquod animal nõ est leo: ergo aliquod animal non est rugibile: debet reduci in Bar-

bara, & reductione ad impossibile, hoc modo videlicet, si aliquis concessa maiori, & minori, neget prædicti syllogismi conclusionem. tunc arguens assumere debet contradictoriā conclusionis, quæ erit omne animal est rugibile: hanc enim necessario tenetur cōcedere, qui negat aliquod animal non est rugibile, duarum enim contradictoriarū, si altera est falsa, altera necessario vera esse debet: neq; enim simul veræ, simuluè falsę esse possunt: igitur si respondēs existimet, hanc propositionem esse falsam, aliquod animal non est rugibile: debet, vt veram eius contradictoriā concedere, quæ est omne animal est rugibile: hoc ergo contradictorium debet arguens pro minori propositione cum eadem maiori assumere, & inferet tanquam verum cōtradictorium minoris propositionis, quod etiam debet necessario admitti a Respondente ratione illationis perfectæ, & aliàs esset illi negandū, siquidem eius contradictoriū concessit, & sic reducitur, cogiturq; Respondens, vel admittere simul plura cōtradictoria, vel consequentiā primi syllogismi ab ipso negatam concedere. reduciturq; sic omne rugibile est leo: omne animal est rugibile: ergo omne animal est leo. mi patet: siquidē per te hæc est falsa, aliquod animal non est rugibile: ergo necessario hæc erit vera, omne animal rugibile est.

Vt autem sciatis ad quem ex perfectis reducatur, quilibet ex imperfectis; not. ab vna ex his quatuor cōsonantibus incipere quēlibet modū: vel enim incipit à B. vt Baralipton: Barocho, & Brocardo, vel à C. vt Cælantes, Cæsare, & Camestres, vel à D. vt Dabitis, Darapti, Disamis, & Datisi, vel tandem ab F. vt Fapesmo, Frisesomorum, Festino, Felapton, & Ferison, omnes ergo modi qui incipiunt à B. debent reduci ad Barbara, qui verò incipiunt à C. ad Cælarent. modi autem qui incipiunt à D. ad Darij, & tandem qui incipiunt ab F. ad Ferio.

Considerandæ etiam sunt in modis imperfectis aliæ quatuor consonantes, quæ vel in prima syllaba, vel in secunda,

vel

vel in tertia collocantur; nimirum S.P.M.& C. quæ non ponuntur in quatuor perfectis: quæ consonantes indicant modum reductionis syllogismi: nam, S, connotat illam propositionem significatam per vocalem præcedentē, esse conuertendā simpliciter: quid autem sit simplex conuersio, iam scitis ex his, quæ diximus de cōuersione propositionum lib. præced. nimirum, quod fiat de subiecto prędicatum, & prædicatum de subiecto, manente eadem qualitate, quantitate, & veritate propositionis: vt nullus homo est leo: nullus leo est homo. littera P. denotat illam propositionem significatam per vocalem præcedentem esse cōuertendam per accidens, idest mutata tantū quantitate, vt omnis homo est animal: aliquod animal est homo, vel aliquod animal est homo: omnis homo est animal. littera M. denotat præmissas transponendas esse, itaut ex maiori fiat minor, & ex minori maior. tandem littera C. denotat syllogismum illius modi reducendum esse per impossibile, sed vt clarius huiusmodi cōuersiones intelligantur: oportet deuenire ad exercitium omnium modorum imperfectorū. & primo ad quinq; imperfectos primæ figuræ. Baralipton reducitur ab Barbara conuertendo tantum per accidens vltimam propositionem de particulari in vniuersalem sic. omne viuens est substātia: omne animal est viuens: ergo aliqua substantia est animal. hic est in Baralip: in Barbara erit cōuertendo ly; aliqua substantia est animal. sic: ergo omne animal est substantia. hoc autem propter litteram P. positā in vltima syllaba, quę indicat illius propositionis cōuersionem per accidens.

Cælantes reducitur ad Cęlarent per conuersionē vltimę propositionis simpliciter per litteram S. positam in illa vltima syllaba: vt nullus leo est canis, omne rugibile est leo: ergo nullus canis est rugibilis. hic syllogismus est in Cælantes: erit tamen in Cælarent sic: ergo nullū rugibile est canis.

Dabitis eadem simplici cōuersione vltimæ propositionis ad Darij reducitur propter eamdem litteram S. vltimo loco

 posi-

positam: vt omne latrabile est canis: aliquod animal est latrabile: ergo aliquis canis est animal. hic est in Dabitis: eritq; in Darij si côuertas, ly, aliquis canis est animal; simpliciter, sic: ergo aliquod animal est canis.

Fapesmo reducitur ad Ferio: sed in hoc modo reperiuntur tres consonantes P.S.& M. vnde littera M. indicat transmutationem præmissarû, nimirum quod maior fiat minor, & minor maior: sed ea propositio, quæ in Fapesmo est minor propter litteram S. debet côuerti simpliciter. ea autem quæ maior est propter litteram P. debet conuerti per accidens, ideſt de vniuersali in particularem. sit exemplum; hic est syllogismus in Fapesmo. omnis Aquila est bipes: nulla Gallina est Aquila: ergo aliquod bipes nô est Gallina, vt reducatur ad Ferio hic syllogismus conuerte simpliciter, ly, nulla Gallina est Aquila: & pone hanc propositionem pro maiori, quæ in Fapesmo est minor. ly autem, omnis Aquila est bipes. côuerte per accidens; fiatq; minor. eritq; redactus ad Ferio syllogismus, sic. nulla Aquila est Gallina: aliquod bipes est Aquila: ergo aliquod bipes non est Gallina.

Frisesom. reducitur etiam ad Ferio: in hoc autem modo reperitur bis littera S. & semel, littera M. hæc vltima denotat debere fieri transpositionê præmissarum, sicut in Fapesmo, quod maior fiat minor, & minor maior: geminata, seù bis posita littera S. denotat vtranq; præmissam debere simpliciter conuerti, vt hic est in Frisesom. Quodam viuens est planta: nullus lapis est viuens: ergo aliqua planta nô est lapis, vt fiat in Ferio, pone pro maiori minorê simpliciter conuersam: & pro minori maiorê etiam conuersam simpliciter: sic: nullum viuens est lapis: aliqua planta est viuês: ergo aliqua planta non est lapis.

Cæsare est primus modus secundæ figuræ, reduciturq; ad Cælarent, & quia post primam vocalem reperitur littera S. denotatur, primam propositionem simpliciter esse conuertendam; vt nullum bonum est fugiendum: omne peccatum fugien-

fugiendum est: ergo nullum peccatum est bonum: erit hic syllogismus in Cæsare tantum per conuersionem simplicem maioris sic: nullum fugiendum est bonum: omne peccatum est fugiendum: ergo,&c.

Camestres secundus modus secūdæ figuræ reducitur etiā ad Cælarent: sed quia reperitur primo, M, quæ denotat transmutationem præmissarū: & in secunda, & tertia syllaba reperitur littera S. quæ denotat vtranq; illam propositionē, minorem nempè, & conclusionem esse simpliciter conuertendam, sic talis syllogismus reducitur, vt omnis Iustitia est virtus. nulla iniustitia est virtus: ergo nulla iniustitia est iustitia. conuerte hanc minorem simpliciter, & pone loco maioris, & conuerte etiam simpliciter conclusionē, & erit in Cælarent sic: nulla virtus est iniustitia: omnis iustitia est virtus: ergo nulla iustitia est iniustitia.

Festino, reducitur ad Ferio per conuersionē tantum simpliciter maioris propositionis denotatā per litteram S. post primā vocalem positam, vt nulla liberalitas est auaritia. aliquod vitium est auaritia: ergo aliquod vitiū nō est liberalitas. erit hic syllogismus sic in Ferio: nulla auaritia est liberalitas: aliquod vitium est auaritia: ergo, &c.

Barocho, propter litterā C. reducitur ad Barbara per impossibile. id autem sic assequeris, assumas pro maiori eandē maiorem: pro minori verò contradictorium cōclusionis: & pro conclusione contradictorium minoris cōcessæ: & vt sic cogetur Respondens plura contradictoria esse vera concedere: vel optimum esse in Barocho syllogismū. sit exemplū; omnis demonstratio generat scientiā: aliqua argumentatio non generat scientiā: ergo aliqua argumentatio non est demonstratio: erit in Barbara: omnis demonstratio generat scientiam: omnis argumentatio est demonstratio: ergo omnis argumentatio generat scientiam.

De modis tertiæ figuræ idem est iudicium: nam Darapti reducitur ad Darij conuertendo tantum minorem propositionem

tionem per accidẽs de vniuersali in particularem, vt omnis albedo est color: omnis albedo est accidens: ergo aliquod accidens est color. erit in Darij sic, omnis albedo est color: aliquod accidens est albedo: ergo, &c. idq; propter litteram P. post secundam vocalem positam.

Felapton ad Ferio eodem modo conuertendo minorem propositionẽ per accidens propter ly. P. vt nullum latrabile est risibile: omne latrabile est canis: ergo aliquis canis non est risibilis: erit in Ferio sic: nullũ latrabile est risibile: aliquis canis est latrabilis: ergo aliquis canis non est risibilis.

Disamis ad Darij, sed littera M. denotat pręmissarũ transmitationem. prima S. simplicẽ conuersionẽ maioris: vltima verò simplicem conuersionem cõclusionis, vt aliquod sensiens est rationale: omne sensiens est animal: ergo aliquod animal rationale est, eritq; in Darij accipiendo minorẽ pro maiori conuertendoq; reliquas propositiones simpliciter, sic: omne sensiens est animal: aliquod rationale est sensiens: ergo aliquod rationale est animal.

Datisi, etiam ad Darij reducitur per conuersionẽ simplicem minoris propositionis propter litteram S. post positam secũdæ vocali, vt omnis æquus est hinnibilis: aliquis æquus est velox: ergo aliquod velox est hinnibile. erit in Darij sic: omnis æquus est hinnibilis: aliquod velox est æquus: ergo aliquod velox, &c.

Brocardo propter litteram C. reducitur ad Barbara per impossibile: id autem fiet, si sumatur propositio cõtradictoria conclusionis pro maiori: minor vt stat, & concludatur contradictorium maioris, vt aliquod animal non est Bipes: omne animal est sensiens: ergo aliquod sensiens non est Bipes. si quis ergo contennat, præmissas esse veras, conclusionem verò falsam: tunc assume contradictoriũ conclusionis, quod necessario debet ab aduersario tanquã verum admitti, cum eius oppositum negauerit, & cũ eadem minori concludes contradictorium maioris propositionis, quod ab eo

debet

debet iurè negari ex cōceſſione illius maioris, & alias negari nequit cōnexione ſyllogiſmi. ſic.omne ſenſiens eſt bipes: omne animal eſt ſenſiens: ergo ome animal eſt bipes.

Tandem Feriſon, reducitur ad Ferio per ſimplicem conuerſionem minoris,ratione litteræ S. poſtpoſitæ ſecūdæ ſyllabæ,vt nullum quadrupes eſt volatilæ: aliquod quadrupes eſt leo: ego aliquis leo non eſt volatilis, eritq; ſic in Ferio: nullum quadrupes eſt volatile: aliquis leo eſt quadrupes: ergo, &c. quare Priſci Dialectici adinuenere duos verſus, qui conuerſiones has facile indicant, videlicet.

Simpliciter verti vult S.P.verò per acci.M.vult tranſponi C.per impoſſibile duci.& hæc dicta ſufficiant de toto ſyllogiſmorum tractatu.

PVNCTVM SEPTIMVM
De Reliquis Argumentationis Speciebus.

IAM de Syllogiſmo peregimus prima Argumētationis ſpecie: reliquum eſt, vt de Reliquis, nempè de Enthimemate,inductione,& exēplo breuiter agamus: illud Enthimema dicitur, quod conſtat ex antecedenti ſimplici, & cōſequenti.vt Petrus currit: ergo mouetur,quare dicitur ſyllogimus truncus, quia illi deeſt vna ex præmiſſis ad hoc, vt verus ſyllogiſmus ſit. & hic modus argumentandi poſt ipſum ſyllogiſmum eſt magis vſitatus apud logicos, & Philoſofos:quia eſt magis facilis, & expeditus.

Inductio,ſiuè enumeratio eſt argumētatio procedens ab experiētia plurium ſub eadem ſpecie, vel ſub eodem genere contentorum ſufficienter tamen enumeratorū ad ipſam ſpeciem, vel ad ipſum genus, vt hic coruus niger eſt, & hic etiam coruus niger, & ille alius, & ſic de ſingulis: ergo omnis coruus niger eſt, & aquila bipes eſt: cygnus etiam bipes: gallina bipes,& coruus bipes; & ſic de ſingulis auibus: ergo omnis auis eſt bipes, & homo ſenſiens eſt, leo pariter ſenſiens,

siens, canis similiter, & sic de reliquis speciebus animalis, ergo omne animal est sensius.

Tandem, Exemplum est argumẽtatio procedens ex vno particulari ad colligẽdum aliud per omnimodam similitudinem operationum, & circumstantiarũ, quæ inter vtrumq; reperitur. vt Deus pepercit peccatrici Magdalenæ, quia sè verè pęnituit: ergo, & nobis si veram fecerimus pęnitẽtiam proculdubio parcet.

PVNCTVM VLTIMVM
De Disputandi methodo summe necessaria concerrantibus.

AD calcem huius nostræ paruæ logicæ aliqua adnotanda præcepta decreuimus, quæ si à disputãtibus obseruentur, in omni circulo gloriam, honoremq; plurimum facile se consequuturos credant; perfectumque disputandi modum assequentur.

In primis ergo Respondens grauitate humili præparato loco sedeat, & cũ ei Assistens innuerit, nitatur Adstantium beneuolentiam captare breui oratione, qua vel virtutẽ laudet, vel se ipsum humilitate deprimat, imbecillem se tanto oneri existimans, fortes aduersarios timere se ostendat, vel illum cui fuerint conclusiones dicatæ extollat, vel grauitatem materiæ suarum cõclusionũ patefaciat, vel quid aliud, prout placuerit, breuibus tamen verbis, ne tempus disputationi concessum in orando teratur frustra, aliquibus Rhetoricis coloribus differat; postquã orationẽ, arguentes inuitet, his verbis: si quis ergo vestrum hisce meis aduersandi causa propositionibus huc se contulit, accedat: siquidẽ mei Doctissimi Assistentis munitus ipse præsidio, facile quælibet inimicorum tela confringam, vel alijs similibus.

Tunc assurget primus argumẽtator, & facta omnibus circumstantibus reuerentia, dicat. licet Assertiones Dominationis,

tionis, (vel Reuerentiæ, si religiosus fuerit) tuæ optimè sint dispositæ: tamen illa duo, vel vnum, vel tria, mihi dubium faciunt: primum, quod asseris in tali cóclusione, &c. contra quod sic argumentor, &c. proponatq; primum argumentū. secúdum, quod mihi dubium facit, est id, quod statuis in tali cóclusione, &c. & cótra hoc sic arguméntor, &c. proponatq; secundum, &c. his ingenij tui fęlicitate facile satisfacies.

Tunc Respondens parum assurgens arguēti, dicat, Argumentata est Dominatio sua, (vel Reuerétia sua, si religiosus fuerit) duplici fortissimo medio contra meas assertiones. & primo contra talem in ordine, in qua assero, &c. estq; argumentum, &c. & repetat illud. secundo contra aliam, in qua assero, &c. contra quam conclusionem sic insurgit, &c. repetatque secundum, & sic de singulis. si plura fuerint argumenta, & postea ad primum redeat, cui primò satisfaciendum est, nisi aliter videatur arguenti.

Dum ergo aduersarius argumenta proponit, attendat respondens non solum sensui arguméntorum, sed etiam verbis ipsis: postea repetat bis fideliter argumentum de verbo ad verbum (si fieri poterit) quia multoties in verbis sita est vis argumenti: quando verò nó sit periculum de mutando, ad mutationem verborū, etiam argumenti sensum, poterit alijs verbis, eundem tamen sensum faciétibus Respondens argumentationem repetere. prima vice totum repetat. secunda vice ponderet singulas propositiones, & veras cócedat: dicendo, concedo maiorem, si vera fuerit: falsa neget: dicendo, nego minorem, si falsa fuerit: distinguat ambigua, quæ distinctione indigent, dicédo, distingo maiorem, vel minorem, vel consequens; vbi fuerit ambiguitas. quādo obiecta illi fuerit aliqua authoritas Sāctorum Patrum, vel Aristotelis, eam vel concedat; si inde oppositum suæ conclusionis non sequatur, vel interpetretur, & gloset in sensu, qui conclusioni suæ minime cōtradicat, dicendo, gloso hanc authoritatem: vel, sic est intelligendus Aristoteles: cum enim ipse

V sit

sit Magnus Magister, Adstãtes tribuerẽt temeritati absolute illum negare, vel aliquem alium grauissimum Doctorem.

Si obiecta fuerit aliqua propositio, ex qua intentũ inferri minime possit, dicat, transeat hæc propositio, dicẽdo autem transeat, nec concedit, nec negat propositionem, sed illam esse impertinentẽ ad colligendũ cõsequens, indicat; dicitq; transeat, nè illam vel cõcedendo, vel negando det aduersario occasionem vagandi per alias materias impertinentes.

Summopere autem aduertàt, nè inter respondendum dicat, nego conclusionem, quia illa propositio dicitur conclusio, quæ necessario infertur ex præmissis necessario vinculo inter se vnitis, & sic negari non potest; sed quando animaduertet falsitatem esse in dicta propositione, perpendat bene præmissas, si sint veræ secundum materiam, vel secundũ formã; quia certè in ipsis latet causa, cur mala, & vitiosa sit illa propositio. quarè si ex ipsis aliqua fuerit falsa, illam statim negabit: sed si fuerint ambæ veræ, & tamen conclusio falsa, certè talis syllogismus errat in forma, & sic recurrẽdum est ad regulas à nobis assignatas, negabitq; illam vltimam propositionem: non tamen sub nomine cõclusionis; sed sub nomine consequentis, vel consequentiæ.

Notetur autem discrimen, quod versatur inter consequens, & consequentiam. Consequens est illa propositio, quæ vltimum locum retinet in argumentatione, siuè necessario inferatur, siuè non: quarè consequens respicit tantum materiam argumenti, non formam: at consequentia est illa illatio necessaria, quæ infertur ex antecedenti, siuè vera sit, siuè falsa eius materia; & sic consequẽtia respicit argumenti formã. Hinc est, quod aliquãdo potest concedi cõsequens, & negari cõsequẽtia, vt Franciscus est homo: ergo D. Franciscus est in cęlo; cõsequens hoc verum est, & concedendũ: D. enim Franciscus est vtiq; in cęlo: tamẽ cõsequẽtia est neganda cũ non inferatur ex antecedẽti: nõ enim sequitur ex eo quod Franciscus currat, D. Franciscum esse in cęlo.

Hinc

Hinc etiam fit, consequentiam non posse dici veram, vel falsam propriè, cum veritas, vel falsitas pertineat ad materiam argumenti: potest tamen esse recta, vel vitiosa, & vt sic concedi tantum, vel negari; sed non distingui, quia distinctio est respectu sensus ambigui, quæ ambiguitas non pertinet ad formam argumenti, sed tantum ad materiam: quarè quando illa vltima propositio fuerit ambigua, caueat Respondens nè dicat, distinguo consequentiã; cum dicere debeat, distinguo consequens.

Item Respondens numquam debet alicuius rei rationem assignare, nisi eam aduersarius petat; sed tantum debet procedere concedendo, negando, distinguendo, & explicando: concedendo vera; negando falsa; distinguendo ambigua; & explicando authoritates graues. Respondeo autem tunc tantum dicere debet, quãdo videt aduersarium nimis immorari in re aliqua, quæ vel paruam, vel nullam habet difficultatem, vel cui fuit ab initio satisfactũ, & tamen semper idem repetit, quarè Adstantibus molestiæ est: & sic tunc, vt illi argumento imponatur finis, clarè, breuiter, & distinctè rei explicet veritatem.

Arguens verò proponat semper iuxta formam syllogisticam sua argumenta: possunt etiam aliquando, (sed non assuescant Nouitij) Enthimematibus vti: postquã autem argumentum suum proposuit, expectet respondẽtem, nec loquentem importunè interpellet: quod etiam obseruare debet respondens, dum aduersarius argumentum proponit.

Cum ipsi fuerit aliqua propositio negata, statim illam nouo medio probet, itaut negata propositio sit conclusio noui syllogismi: id enim, quod negatur a respondẽte, semper debet adduci ab arguente in conclusione, vt si negata illi fuerit hæc propositio, Demonstratio generat scientiam. debet sic eam probare: omnis syllogismus procedens ex certis, & euidentibus generat scientiam: sed demonstratio est huiusmodi: ergo scientiam generat.

Quarè valde necessarium existimo, præsertim Tyrunculis, vt cum quis priuato studio se ad argumentandum parat, assuescat confirmationes singularum propositionum inuenire, & seorsum describere, ne deinde in disputatione turpiter herere videatur: aut, quod peius est, conetur digredi ad varias, & impertinentes materias, quod auditoribus valde displicet.

Debet his vocabulis vti, probo, contra, sic argumentor, sic insurgo, &c. licet etiam illi petere, quando libuerit, à respondēte rationem negationis alicuius propositionis, his verbis; assigna rationem. & tunc respondens tenetur illam tradere. sic etiam licet illi aliquando petere à respondente explicationem alicuius distinctionis, vel responsionis ab ipso traditæ, vel etiam intelligentiam alicuius conclusionis, his verbis; explica quęso mihi, quid intelligas per hoc, quod asseris, &c. & Respondens dicere debet sic: petit à me Dominatio sua, vt explicem quid intelligam per id, quod assero, &c. Respondeo, &c.

Si verò non bene aliquando perceperit aliquam responsionem, vel distinctionem, licet etiam illi petere, vt denuo eam repetet Respondens. sicut etiam Respondens ipse bene poterit ab Arguente petere, quod iterum aliquod argumentum repetat, si prima vice non perceperit illud: esset autem vitium, si sæpè id faceret.

Tandem tàm Arguens, quàm Respondēs viuacissimi esse debent in proponendo, & respondendo; itaut vim tribuant prolatis verbis: non tamen limites modestiæ excedant: caueantque ab immoderatis clamoribus, nè sint ludibrio circumstantibus. feruent ergo ambo in disputando ardorem quemdam alacrem, grauem, prudentięque qui sit comes. finito suo argumento, Arguens optimè fuisse sibi à Respondente responsum, modesta inclinatione innuat, & ad suum reuertatur locum. Respondens verò terminato certamine, modestè etiam gratias circumstantibus agat, eius imbecillitati

litati humiliter tribuendum, si quid in disputando minus congruè fuerit à se dictum, deprecans. quibus verbis assurgat, omnibusq; profunda inclinatione grates se referre debitas innuat. Atq; hæc dicta sufficiant breuiter, & clare de tota nostra parua logica, seu Præludijs ad arduam logicæ disciplinam summoperè necessarijs: vtinam in laudem cedant omnipotentis Dei Patris, Filij, Spiritusq; Paracleti; necnon Deiparæ Virginis, magni sapientiæ Magistri Augustini Patris, Sanctorumque omnium, & tandem in Iuuenum faxit Deus vtilitatem tendant.

Finis Paruæ Logicæ.



MAGISTER FRATER NICOLAVS à Sancto Angelo Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis indignus.

TEnore pręsentium, & nostri muneris authoritate facultatem concedimus; vt Opus Logicæ, & Philosophiæ à Venerabili Patre Baccalaureo Fratre Cœlestino Bruno Venusino eiusdem Ordinis compositum, Grauiorum, Doctorumque Virorum iudicio examinatum, & approbatum, typis excudatur: in quorũ fidẽ, &c. Datum Romæ die 28. Septembris 1618.

Nostri Officij affixo Sigillo.

Frater Nicolaus à Sancto Angelo
Generalis indignus.

Locus Sigilli ✝

Regist. lib. 3.

DILIGENTISSIMVS INDEX

Omnium Punctorum huius nostræ Paruæ Logicæ, & eorum, quæ in ipsis traduntur.

LIBER PRIMVS.
De Prima Operatione Intellectus.

PVNCTVM PRIMVM.
Quot sint Actus nostris Intellectus, & quomodo illis subordinetur Logica?

PVN-

PVNCTVM SECVNDVM.

De Diffinitione, quid, & quotuplex, & quæ sint bonæ diffinitionis præcepta.

PVN-

PVNCTVM TERTIVM.

Quid, & quotuplex sit vox.

PVNCTVM QVARTVM.

De quinque vocibus Prædicabilibus Porphirij.

PVNCTVM QVINTVM.
De Anteprædicamentis.

PVNCTVM SXTVM.
De decem Prædicamentis.

Quinq;

PVNCTVM SEPTIMVM.
De Postprædicamentis.

LIBER SECVNDVS.
De Diuisione secunda operatione intellectus.

PVNCTVM PRIMVM.
Quid, & quotuplex sit diuisio.

PVNCTVM SECVNDVM.

De præceptis optimæ diuisionis, & modis arguendi per ipsam.

PVNCTVM TERTIVM.

Quid sit Terminus.

Quo-

PVNCTVM QVARTVM.
Quotuplex sit Terminus.

PVNCTVM QVINTVM.
De Affectionibus Terminorum.

DE SVPPOSITIONE.

Resol-

PVNCTVM SEXTVM.
De Nomine, & Verbo.

Addu

PVNCTVM SEPTIMVM.
De Oratione, & Propositione.

PVNCTVM OCTAVVM.
Quotuplex sit Propositio.

Tertia

PVNCTVM NONVM.

De veritate, falsitate, & oppositione propositionum.

PVNCTVM DECIMVM.

De AEquipollentia, & Reciprocatione propositionum absolutarum.

PVNCTVM VNDECIMVM.
De Propositionibus Modalibus.

PVNCTVM DVODECIMVM.
De quãtitate, & qualitate, veritate, & falsitate modaliũ.

Quid

PVNCTVM TERTIODECIMVM.
De AEquipollentia, & oppositione modalium.

LIBER TERTIVS DE DISCVRSV.

PVCTVM PRIMVM.
Quid, & quotuplex sit Argumentatio.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quid sit Syllogismus, & quotuplex eius figura.

PVNCTVM TERTIVM.

De Diuisione modorum per suas figuras.

Syllo-

PVNCTVM QVARTVM.

De Regulis inueniendi medium terminum ad concludendum in quocumq; modo.

PVN-

PVNCTVM SEPTIMVM.
De Reliquis Argumentationis speciebus.

PVNCTVM VLTIMVM.
De Disputandi Methodo summè necessaria concertantibus.

Ali-

PVNCTVM QVINTVM.

De triplici syllogismorum specie.

PVNCTVM SEXTVM.

De Reductione modorum imperfectorum ad quatuor perfectos.

Quædam

FINIS.




LOGICALIVM DISPVTATIONVM

PARS PRIOR:

AVTHORE FR. COELESTINO BRVNO
Venusino Ordinis Sancti Augustini Cœnobij
Ciuitatis Panhormi Regente.

SECVNDA PARS CVRSVS.

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum
D. BENEDICTVM IVSTINIANVM
S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.



NEAPOLI, Ex Typographia Constantini Vitalis.
SVPERIORVM PERMISSV. M. DC. XX.



Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino

D. BENEDICTO IVSTINIANO S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO, AC PATRONO MEO COLENDISS.

Frater Cœlestinus Brunus Augustinianus Almi Collegij Panhormitani Regens. A. P. N.



D semper, inter cætera, à grauissimis commendata scriptoribus (Cardinalis amplissime) summoperè placuit, & vt vtilius, & vt gloriosius, quod de inuictissimo, ac pariter prudentissimo quodam fertur, Augustissimi Vrbis, ac Orbis Imperij Principe: cui, vt nunquam, à virtutum recordatione, vacandi, præberetur occasio, (quòd veri Gubernatoris abhorret Prudentia; quem, cunctos, in obseruantia sanctionum, in Principe optimo sapientiam requirentium; qua fine, vel Princeps pessimus, vel sal infatuatum, ad nihilū vltra valens, nisi vt ab hominibus cōculcetur, à Lyppis & tonsoribus iudicabitur, decet præcellère) in sophorum nunquam non consuetudine, videbatur; vt, & in arduis, quos in consilium adhiberet, nec esset orbatus (quod haud parum est in Principe commendandum.) Is, ergò, pluribus, ijsq; varijs scientijs viris edoctis, ac præditis disciplinis, perpetuò comitatus: Quid præclarius? Quiduè, præceteris, esset in Orbe potissimum, inter tot alia, scitu digna, quæsita, die quadam, cum de infausta Magni Philippi Macedonis filij nece differerent, eos percontandi, sibi venit in animum. Cui, Imperatorem, Mundi dominum ab ipsis legibus nuncupatum; cuius in ferrea corona, fortitudo; in argentea, puritas; ac tandem super cunctos Reges, ac Nationes Imperium, in aurea designantur, humanæ legis peritus respondit. Non nisi, honoris hoc, ipsi Naturæ tribuendum, Naturalis Philosophus inquit: vnde Syracusanus iniquissimus ille Dionisius, vetulæ, ac decrepitæ proximæ volenti adhùc nubere matri suæ: Imperij legibus (ait) vim posse inferri, naturæ autē haud posse. Scire Perhipateticus ipsi Naturæ præposuit: nil, enim, melius, inquiens, scientia, & intellectu, nisi solus Deus. Diuitias, adhùc ipso scire potiores in orbe, resumpsit alius, quibus quid non paret? Et tandem post tot, tantasq; rerum quorum sententias; nil præclarius, nil vandius, nil excel-

fius, nil vtilius, vitæq; Politicæ conformius nihil, bono nomine, sceptris, ac Imperijs præponendo, Sophus Politicus, cui cæteri consensere, & acquieuit facilè Cæsar, maturiùs iudicauit. Et quidem (Illustrissime Præsul) quid sceptris caducius, ac Imperijs? nuuquam, enim, placidam sceptra quietem, certumuè sui tenuere diem, tragicus ille proclamat. Quid ipsa Natura debilius, quæ facilè cuiq; cedit deliberato consilio. Quid ipsa ingenij sublimitate infęliciùs, cum vbi de ingenio magis, ibi de fortuna sit minus? cumq; nullum magnum ingenium (morali Seneca teste; De traquil. An.) sine mixtura dementiæ fit? Quid, tandèm, ipsis diuitijs inconstantius, molestius, laboriosius, quæ tanto sudore parantur, tanta formidine possidentur, tantò, deniq; cruciatu, ac angore perduntur; vt, quod horum acerbius: Quærere, Amittere, an possidere, indecisa sit lis. Ast, ex opposito, cælitùs dictum est; Melius cunctis diuitijs, Imperijs cunctis nomen bonum. Et humanitùs proclamatum; Ille beatus erit, cui bona fama viget. Ac tandem Diuus ille Plato, fragrantis vitæ virum, nunquam mori: è contra verò, debere nunquam viuere grauè olentis. Tu viuas; diùq; viuas; semperq; viuas; &, nunquam moriturus, feliciſſimè viuas (Cardinalis Ampliſſime) cuius fragrantiſſimi nominis eò fama peruenit, vt nunquàm de tua vnicus sit amplitudine sermo; vt, inquam, nemo, simplicem de te vocem emittens, non plura, atque plura enchomia, laudes, glorias audiat resonare: itaùt, ibi Ægypti Pyramides, quæ quater, & quinquies (Plutarco teste lib.4. de placit. phil. cap.20.) mutuatos iterabant sonus ibi celeber sit Olimpiæ porticus, (ab effectu dictus à Græcis, Heptaphonon, qui septies eundem repetebat altiori voce clamorem: vnde Luc. inquit lib.4.

Sex etiam, aut septem loca vidi reddere voces,
Vnam cum iaceres; ità colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.)

Vbi de tuis est sermo virtutibus. O rem omnium seculorum admiratione dignissimam? vix tua quis incipit inchoare præconia, cùm statim innumeræ hinc, indè reboare sentiuntur Echo. Nemo est, qui taceat: nemo qui tua enchomia sileat: qui tuas non laudibus ornet laudes, nemo est. De omnibus te bene meritum, fatentur omnes: neminem à te vnquam recessisse vacuum: à tuo tristem conspectu, neminem. Nec tuæ vnquàm erit humanitatis ignara Eremitana Religio; nudos immò priùs freta destituent in littore pisces; & leues ante pascentur in æthere cerui; quàm tuus nostro labatur pectore vultus. Quot quot enim filiórum eius ad te, fauoris, ac auxilij gratia, confugere; incredibili: (consueta tamen, àc innata) benignitate animi tui, nunquam non sunt excepti; propulsi nunquam: cunctis, perhumaniſſimè semper, tulisti opem, fuisti subsidio: haud vnquam alicui tuum denegasti suffragium. Viuas, ergò, diùq; feliciſſimè viuas: oleum nanq; effusum nomen tuum. Multum igitur, tuæ debet humanitati Eremitana Familia. Minimus ipsæ tantæ Matris filius magnum quid amplitudini tuæ, in alicuius gratitudinis qualecunq; signum, vellem offerre: ast vires inualidæ tenue protulere munusculum, Logicas hascè perdifficiles quæstiones. Verebar quidem eas tanto dicare Patrono; sed venit illud in mentem: Magnos parua decent.

decent. Exiguum pignus hoc erit (Præsul Amplissime) nè dùm eorum, quibus tibi maximis est officijs abstricta Religio mea: sed adhùc ingentis erga Illustrissimam Iustinianam sobolem, tot insignitam sceptris, tot gloriosam coronis, obseruantiæ meæ: non enim est aliud, quod me magis extollat in Orbe toto, quodq; magis Brunorum humilem illustret familiam, quàm Compatrem in Sacro Fonte Baptismatis habere meruisse meum, ac totius domus meæ Patronum, ac Dominum, Illustrissimum Dominum F. Horatium Iustinianum Hyerosolimitanum Æquitem præclarissimum virum ad res maximas natum, Nobilitatis regale decus, Religionisq; splendorem eximium. At quantumcunq; sit tenue munus hoc, dùm parua, & humilia, immensitate animi tui, magna tu efficis, & extollis, effice magnum. Quod si tantum, hoc mihi, obsequio, studium intellexero comparatum; altiora scribendi, atq; dicendi, nè meò solùm, sed validioribus calamis præstabitur ansa. Vale, ac Nestoreos feliciter annos Viue.



AVGVSTISSIMAE AVGVSTINIANAE RELIGIONI,

Summèque Venerandæ Matri meæ:

Et pro ea

REVERENDISS: PATRI GENERALI

Magiſtro Nicolao à Sancto Angelo.

ADMODVM REVERENDIS PATRIBVS MAGIſtris Procuratori Generali Laurentio Empolenſi; Vincentio Spinola, & Alfonſo Vnego, Digniſſimis Aſſiſtentibus, pro Italia alteri alteri vero pro Hyſpanijs, Patribus Prudentia, Religionis, Virtutũque omnium ſimulacbris.

F. COELESTINVS BRVNVS VENVSINVS
Panormi Regens filius obſequens. P. F. R.



ON abs rè, credo, (Auguſtiſſimi Patres) Coriolanum illum, nec præſentibus vitæ encomijs, nec laudis ambitu, nec curſu populari, nec tranquillæ dignitatis, fortunarumque portu, nec annalium monumentis, nec honoris ambitione, nec præcipiti dominandi, lubricaque cupiditate ſubuerſum, nec tandem ſeculorum omnium famam conſequuturum; ſed à cogitationibus cæteris ad vnam Matris lætitiam, ad quam ſolum omnem rerum geſtarum, litterarum monumentis conteſtatam gloriam, laudabilem, ſempiternamque commendationem, decuſque in poſterum, exiſtimationemque

nemque

uemque conuerterat collaturum, neruis omnibus, industria insigni, summos animi, corporisuè robore in rebus serijs, præclarèque agendis, in què medio maximarum perturbationum fluctus liberè se circumscripsisse, vitamque mille exposuisse periculis, & morte: itaut Historiæ referant, quod cæteris virtutis finis erat gloria Coriolani; huic verò gloriæ finis materna existebat lætitia. Egregium equidem, & meritò intimo omnium cordi præfigendum, vt speculum limpidissimum gestandum præ oculis, in que omni ætate laudabile, imprætermittendumque. Optimos quosque filios omni ingenij posse, solertem industriam, animi commendationem, laudis pulchritudinem, honorisque splendorem ad vnam referre matrem, ac in honestis, industrijsque actibus versari, laudabili, sempiternaque omnium commendatione se præstare floridos, vt Matris delectationem augescerent, cumularent & gaudia. Cui enim Natura (Deo excepto) nos deuinitiores coniunxit, nisi Matri? que Materno, quo vititur affectu, de se, deque sua gloria nihil spe, animoque peruoluens; non in suam ipsius voluptatem intendens, non sibi fortunarum copias, longaque secula deprecans: sed ad filij salutem, commodum, vtilitatemque circumspecta, quæque sibi appetere liceret, & concupiscere, conuertit ad illum, pressuramque omnem, & molestiam tùm tranquillo perferre animo, tùm libenter concoquere affectaret, per virtutis semitam profecturum filium visura. Congaudet filio, si habuerit filius, suoque in filium collatura hilarescit. Et si talis, tantusque viscerosus genitricis in filium amor, vt ab vllo alterius amore, non vinci, sed nec valeat æquiparari; qualibus nobis licet exhibere Matri? quidue coniunctissimo, indissolubilique vinculo illi debemus, quod magis maternum expleat affectum, quod cum vehementia inenarrabili, tùm cupiditate præcipua sibi Mater asciscit, omneque laborum suorum præsidium positum esse indicatur. Et quid hoc? nisi filium hominem disertissimum, præ cæteris doctrina, virtuteque probatissimum, præclaris & prudentia, & factis illustratum, apudque omnes honore splendidum, gratiosumque, & tandem frugi hominem meritò dici, & iudicari, conspicere? En ipse (Patres Amplissimi) cui præstanti tutamine, & gratia, qua ad studia mea prouehenda Pia hæc Mater mea, ac Veneranda Religio singulari vestræ commissa Prudentiæ, Prudenti commendata Regimini, suam distulit voluntatem, & quæcumque meæ vtilitati, dignitatique conducere est arbitrata, eo fecit patrocinio, quo nil diligentiori cura, studio maiori, cupidiori animo, & mihi desiderare, & valerem ab ipsa deposcere, nec gratius, honorificentiusque mihi facere poterat quicquam, tantum debeo, quàntum nec proprij sanguinis effusione, & morte liceret absoluere. Nam hinc inde per sua membra diuagata, non infimum mihi locum, quo nec dignus habebar, vendicauit; sed in eius bracchijs, Neapoli scilicet, vbi nullum sui amoris, nullum studij, nullumque pietatis officium deficeret vnquam. Indè in capite, Romæ, vt vehementiori affectu, ardentiori amore, fragaliorique ope, in meam ipsius vtilitatem, quam præ oculis habebat, propensior, omni cura, materna denique, charitate, meam temporis iacturam non patiens, intam omnem vim ad litteras adipiscendas, & industriam esse adhibendam, curaret. Nec quin dex-

pit in pectus, in Almae Hyspanias transmisit, Salmanticam, vt quo feruentius vacare studio, & ardentius in litteras valerem incumbere, labori non ignoscerem, & vigilijs. Et ibi, vnde maximopere viscerosa, & ardens filiorum facinoribus illustrata, magis, magisque lætabunda desiderio satiata ex liberis suis doctissimos, vndequaque perfectissimos Magistros, institutoresque laude, virtute, scientiaque facile principes emitit; vt vim omnem, operam, posseque meum, sub Patribus omni seculorum admiratione, gloria, & bonore celebrandis, quibus me instituendum tradidit, adhibendum curarem, at in omnem virtutis semitam incumberem, adque scientiam me effingerem, & efformarem. Multum quidem tantæ Matri, & viscerosæ Matri debeo. Sed quo tot de beneficijs, quibus est de me benemerita (non satisfaciam) sed non immemorem saltem me præstabo? Eo quidem, quo nil gratiùs, nil iucundius, nil delectabilius eius placet amori, explet desiderium, lætificat animum: scire filium suum quo in illum fruebatur amore soler ti, ac charitate, neutiquam abusum fuisse: verum suam ipsius beneuolentiam singularem in cordis intimo præfigens, semperque gestans, quoquo studio, quo opere, quo labore, quibus vigilijs, & industria valuit, omni desidia, voluptate, negligentiaue sepositis optimarum artium studijs inseruisse: maioremque ei delectationem allaturus, & lætitiam. vllum nec negocium abstraxisset, nec somnum retardasse, nec reuocasse voluptatem, sed ab alia quacumque cogitatione auersus, litteris se totum tradidisse, earumque studio, vt pro viribus potuit se adhibuisse, ac destinasse. Vacauit quoad potuit si non quod debuit, saltem aliquantulum profecit; nullus tamen est labor prætermissus. Quarè modo, ne assentiuncula, eius, vestrumque (Patres Amplissimi) aucupari iudicer gratiam, lucubratiunculas quasdam, laborumque primitias, & si non quas præcipuo apparatu, vt tanta Matris de me expectatio postulabat, vestræque sublimi dignitati, ac excellentiæ, singulari erant destinandæ, saltem summissas, debiles, incultas, libenti tamen, ac filiali animo, (quo cuncta supplere intendo) dicatas, ipsi dono, vobis committo. Scio enim, nil & ad Matrem meam, & ad Patres meos bis maius, festiuius, delectabiliusque à me collatum iri: nec ab illa, vobisque mihi (pluribus licet debens) maius fuisse commissum. Ipsæ quoque se donant, & si non eo circumfultæ decore, ac decoratæ splendore, quo aliorum (quos fortuna frugaliores effecit) Alumnorum, tantæ Matri, tantis Patribus insignes tradi consueuere labores: tamen quales quales sunt, si alijs omnibus longe in doctrina minores, affectu quidem, ac desiderio, ni cunctis omnibus ditiores, (nè nimis iudicer audax) nulli certè secundæ, deteriores nullo, cæteris pares, cunctis æquabiles, æquales singulis, compares omnibus: tales à Carissima Matre mea excipiantur, exopto; tales à vobis Gratissimis Patribus meis commendentur, exposco; tales etiam & à cunctis fratribus meis habeantur, expostulo: tales namquè traduntur, elargiunturque, Quod si vigilias meas non inutiles, nec labores ingratos nouero, comprobauero: nec viuere tbaduerit vitam meam, seù in vitæ meæ immites fuerit Parcas pertæsum, post huius comitem partem, quæ sub prælo est, altiora Philosophica, nec non & Theologica, gratitudinis

aura

aura vigoratus, nè dum tentare pigebit: aſſpondeo tentarum. Valete Patrum Patres Optimi, eiuſq; Alma Matris, qua tot AEgregiarum extitit, extatq; Matrum AEgregia Mater, Patres AEgregij, Valete: & Illum; à quo fœlicia cuncta procedunt, vt, & tantam Matrem, proùt per quadraginta ſupra ducentum Luſtra ſeruauit Auguſtam, ad finem vſq; ſeculi ſeruet Ampliſſimam: Voſq; bonis omnibus vndequaq; perfuſos, quàm diutiſſimè, rogo, inſtanterq; rogo, tueatur incolumes, cunctaq; vota ſecundet. Dat. Pan. Die 12. Menſis Maij 1619.

F. IOANNIS PHILIPPI MANNA

Regalbotenſis, eiuſdem Matris Filij, tantiq; Magiſtrì Alumni,

AD ALMAM RELIGIONEM, Epigramma.

EN Mater Matrum, tanto radiata Parente:
Diua Parens Diuum, fulgida Diua Parens.
Quæ Cæli lampas flagrans, lux cęlitùs orta,
Afro Patre micans, ſpargis ab ore faces.
Illuſtris natis, celebris generoſaq; factis,
Sol mundum luſtrans, aſtriferumq; polum.
Flammea, Martyribus ſplendeſcens, candida ſanctis,
Inclyta tam priſcis, quam veneranda nouis.
Paſtorum Genitrix, auguſto amicta Parente,
Ornatu, ſanctis, gente, virum ſobole.
En ſtudiis Latius, rutilans Hyſpanus, & ingens,
AEther doctrinæ, perſapienſq; Sophus.
Qui varios, roſeoſq; legens per gramina flores,
Condidit in faſces, Pallade dulcè ſatis.
Lecta tibi mittit, Doctorum maxima norma,
Hæc Cœleſtinus ſedula cura Patris.
Accipe, & auſpiciis Matris tu ſoluere portu,
Quæ vnus mittit Homo, tradit & omnis Honos.
Non multi ſunt, clara Parens, ſunt vnicus iſti,
Hyſpanus, Latius, Cælifer iſte Pater.

HVMANISSIMIS LECTORIBVS. S.




N (Studiosa Iuuentus.) quod prius Logicalium Disputationum opus, feruenti animo, ardentiq; exposcebas desiderio, se se vltrò offerens, impertior humanitati tuæ, adq; vtilitatem conuerto. Quam quidem, ni tuo futuram, eoq; maximo emolumento sperarem, ne vtiquam fuissem amplexus prouinciam. Omnes tamen oratos esse volo, & deprecor, ne, si, Prædicabilium Authorem Porphyrium inuenieritis in hoc opere multifariam impugnatum, temeritate, (quod absit) me vinci iudicetis. Quo, & si ab infrontispicio admirantibus famine dignus iudicer: attamen, qui mea ipsius indui veste voluerint, non temerè id factum succensentes, meæ laudi seruient, & labori. Et quando vehementi studio, assiduisq; vigilijs, assignatas Porphyrij definitiones perpenderint (vt mihi multis iam annis factum fuisse credant) suis eas erroribus, quæ nequeunt sustentari, minimè vacuas, diligentissimè gruminantes, inuenerint. Non est igitur, cur proprios modestiæ trasilijsse fines arbitrentur. Ea etenim mens, quæ è supernis adueniens, non nisi in summa queit veritate quiescere, quoquo tempore Hyspanijs, Salmanticæ, concupiscenti sciendi cupiditate studijs operam nauarem, Porphyrianæ huiusce doctrinæ perdifficillimam, & intelligentiam, & defensionem semper habuit, intellexitq;. Cui non semel, iterumque reflectenti, qua via, quoue modo saluari possent occurrere potuit. Magnæ quoque, mirificæq; laudis excellentiæ, insignis probitatis, summæque prudentiæ; in quibus tandem præclara ingenij, iudicijq; vis præcipuè apparebat, disertissimos quosque viros, quos magistros colebam adeundo, vt quam alteram pro huiusce essent doctrinæ patrocinio, excellenti ingenij celsitudine, spectata eruditione, intelligentiam consequuti, aperirent, maximopere petij: cum nunquam tandem quicquid inquiescenti, propulsantiq; intellectui obuiandum, opponendumque prospexerim, nec à quibus molestissimè efflagitabam fuerit appositum, in proposito persistens nullius respectus, vel violenta vi ab incepto difficultatis abstrahi valuit, aut dimoueri. Ipsi ergò non acquiescenti imponite: qui cum libertate esset à conditore donatus, à simplici Hominum, eorumq;, quos ne dum falli posse pro certo est, sed, & passim oberrasse comperimus, authoritate, pudori tribuit, & opprobrio in captiuitatem redigi: cum enim scire

mens

mens semper appetat, idq; non in Doctorum,& si insignium, dictis; sed in rerum causæ inuestigatione situm sit, (vt Philosophorum omnium Primas ille docuit) nefas adiudicat alienis acquiescere placitis. Quarè abijciens nuces,& in solam veritatem incumbens, soli ipsi nouit assentiendum:optimum namq; à veritate vinci, à qua,vel inuita, cũ se euertere nesciret ratio, succubuit victa. Parcant ergò ad veritatem adipiscendam aditus: amicus siquidem Socrates,amicus Plato: ast ipsa veritas amica magis. Cæterum siquis, (vt sunt, qui omnia naturæ, atque industriæ instrumenta in studijs, laudis, alienæq; gloriæ infamiam conuertunt,& perniciem,toti ex friuola, arroganti, inaniq; maledicentia concreti: qui virtutis desperatione debilitati, tanquã inuerecundi, non iudicio,sed morbo animi,& impotentia quadã debaccatores, calumnias imponunt:) suã ipsius falcem,quã scur aliter in alterius messem immittere soluit, in meã quoq; sementem voluerit intorquere, discat serere, suique laboris priùs, quas nunquam potest indicet fruges. Et pro certo habeat, quod improbi est hominis, & inuerecundi orationem in absentem ore impurissimo euomere. Peruenerunt tamen ad aures mutilæ quædam voces impudentium, nè dum imprudentium quorundam: qui alienæ gloriæ, nouitati cælebris doctrinæ debitæ inuidentes, sçù efficacibus cõuicti rationibus,quam, pecudum more ducti, propriam profitentur nescientes aliter tutari, ac defensare sententiã, sçù nostræ eneruare principia: vel saltem, quid ipsis rationabiliter respondere, perniciosæ nobis temeritatis notã intemerè tribuunt, cum forsan,& quid temeritatis,vel nomen ipsum sonet,lateat illos. Qui ergò nostram, temerariam ausi fuerint nuncupare doctrinam, se quæso, (& velint, nolintuè parcant) prius nouerint fatuos, ac vesanos, sçù (vt expressiori, ac clariori id sermone dicamus) bestiales, idquè non difficili ipsis negotio sustinebimus: beluarum namq; proprium est, non ratione duci, sed sensu, vel Pastorum authoritate, & imperio. A vobis autem, Benignissimi Lectores, quæso, obtestorq;,vt quibus fundatissimis,quoad potui,rationibus quæstiunculas has priores, quibus liberales Adolescentes pietatem composituros cum litteris, breuiq; fructus quam maximos allaturos, intelligo fore: Quibus in efformandis, constituendisq; quacunq; in rè meam operam præstare potui, non prætermisi: & multis præpeditus difficultatibus, proprio marte (Diuina efflante Gratia) veritatem capessere,multis,continuisq; vigilijs,librorumq; lectionibus defatigaui,lucubratasq; esse volui, earum apud vos copiam pareatis,& velim. Non exiguum fortasse lectitantibus,siuè delectationis, siuè fructus posse conferre iudicantur. In ipsis enim quicquid à ca-

uellatoribus adinuenirí poteft controuerfiæ , penitùs abfolui profpicio. Et fi non reliquas Logicales Difputationes in hoc tomo fimul, vt indubitanter verfabam animo, veftræ fe parant obuiam humanitati, in nullo me tribuatis inculpandum: nam cùm à quampluririmis fingulari eruditione, ingenuaque fpeculatione, quibus magnopere debebam ; & feftinanter, & vi fumma expofcerentur, (nimia imprimentium, moleftiaq; immoratione, qua meam de illis expectationem , defideriumq; longo temporis interuallo fefellerant) optimis viris, amicis etiam, nec nõ tandẽ, & difcipulis mei amantifsimis, hanc primo partem incuffam, citò, vt inftabant, mittendo volui gratificare. Hanc ergò primo prodeuntem accipite: Prædicamenta Ariftotelis in alterũ volumen redacta, quæ fub prælo funt propè diem fubfequentur. Quibus Appendicem addam ad fecundam huius partis Difputationem de Ente rationis ; poft hæc enim confcripta, incidi in quædam manufcripta cuiufdam authoris, viri aliqui religiofifsimi, & doctifsimi, qui hic Panormi publicè è Cathedra conatus eft, & fortifsimis quidem rationibus fuadere, nullum dari Ens , quod tantum habeat effe obiectiuum in intellectu. Vbi quid fentiendum de hac opinione, eiufq; fundamentis aperiam facilitate folita. Interim has peracutifsimas quæftiones , mutuo , quo mittuntur animo, quauè hilari, ac læta fronte veftræ omnium humanitati fe donant, fufcipiatis velim: Nam fi gratæ extiterint, & gratè fufceptas intellexero , prout mea de vobis expectatio fidem tribuit indubiam; confilium in his incudendis fenfero laudari, & nedum laborem, opufq; impofuiffe pænitebit , verùm ad Philofophica, & Theologica, fumma induftria excogitata, & excuffa in pofterum ædenda me conferã. Valete: & Deus fecundato flamine veftro ftudiorum curfui, vt optatum adipifci pofsitis, afpiret.



AD